

Stoeb. P. 1. 1. 1.



1. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de Umbra,
tione virtutis aeterni, ex Luc.
1. vers 35. Jena 1688.
2. Gejer / Mart. / Diff. Bign, nempe
Prot Evangelium Genes. III. v. 15.
ut et Messie mors, Sepultura
ac Resurrectio. Jes. LIII. v. 3=10
Lippsie 1695.
3. ——— Diff. Superstitione,
Lippsie, 1660.
4. Gerhard / Joh. Ern. / Diff. de
aembratione virtutis aeterni,
Jena 1665.

9. 8

DISSERTATIONIS EXEGETICO-THEOLOGICÆ
DE
DISCIPULIS CHRISTI
EX
MAMMONA INIQUITATIS

Sibi
SUSCEPTORES IN ÆTERNA TABERNA-
CULA CONCILIARE JUSSIS,

Occasione dicti Luc. XVI, 9. enata
PARS POSTERIOR,

Quam
Favente DEO, & Venerando Theologorum Ordine,
PRÆSIDE
UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,
VIRO

Summe - Reverendo, atque Excellentissimo,
DN. JOHANNE PETRO
BRUNENBURGI

Ph. & S. Theologiæ Doctore, hujusque in Illustri ad Varnum
Academia Prof. Publ. Ordin. Celeberrimo, Consist. Ducalis, quod Rostochi
est, Assessore, nec non Districtus Mekelnburgensis Præsule Vigilantissimo,
suaque Facultatis Decano Spectatissimo,

Domino, Patrono, Præceptore ac Hospite suo
submisse venerando,

ad d. 20. Octobr. 1713 horis antemeridianis
in Auditorio Majori,

benevole examinandam Eruditus subjicit
M. JOH. PHIL. STAHLIUS, Hildes.
S. Theol. Cultor.

Rostochi, Typis B. JACOBI RICHELII, Amplif. Senat. haët. Typogr. hered. 1711.

DISSERTATIONIS EXCELSIORIS THEOLOGICAE

DE DISCIPULIS CHRISTI

MAIMONIA INQUIRITIS

SUSCEPTORUM ET TABERNACULI

UNIVERSITATIS KENIGSEBENENSIS
VIRI

DN. JOHANNIS PETRI

PR. & S. T. THEOLOGICI, CENSURAE AUSTRIAE ET VINDOBONAE
ACADEMIAE THEOLOGICAE, SOCIETATIS THEOLOGICAE
ACADEMIAE, SOCIETATIS THEOLOGICAE, SOCIETATIS THEOLOGICAE

DOMINO JOHANNI BAPTISTAE

IN VINDOBONA

M. JOH. PHIL. STALLERUS, HILDES.

2. T. Typogr. Cuius

Nonnulli Typogr. Jacobi



I. N. J. A.

Quæ ad integrum Contextum declarandis apud Lucam (c. XVI. v. 9.) Christi verbis necessarium pertinent, exploratorum instar nuperrime pervidimus: nunc alteram Dissertationis partem promissi memor subjungo. Esto igitur instaurato novo Aphorismorum ordine

APHORISMUS I.

In sermone Christi Luc. XVI. 1. & seqq. discipuli amicis operum daturi non tam XII. Apostoli, aut LXX. discipuli, quam in genere ejus auditores, & specialissime etiam telonei & peccatores, qui ipsum accesserunt, fuere.

§. 1.

Primum quidem & literaliter omnis fere Christi oratio ad æquales ætate ac tunc viventes diversi generis pro circumstantiarum diversitate homines referenda est; cum vero, quid quid antea dictum vel scriptum est, in nostram quoque posterorum informationem scriptum antea dictumque sit, Rom. XV. 4. omnium etiam Christi admonitionum usus ad nos deinde devolvitur. Ergo nobis, qui eadem ratione de sermone Christi Luc. XVI. 1. & seqq. idem statuendum esse novimus, primæ nunc curæ jure merito est, id scire, quem versu 9. literaliter tunc monitum Christus voluerit. Equidem nos ad illud pernoscendum in priori Dissertationis parte allaborantes jam tum inuimus, ad telonas & peccatores non sine causa nos respicere, eandemque sententiam etiam num nobis esse, Aphorismi nostri verbis declaramus. Eum in finem hæcenus ex abundantia diversos Christi sermones huc pertinentes à Capite ad calcem permeavimus, non quod simpliciter illud necessarium fuerit, sed quod adjumento non levi destitui nobis videbatur, nisi omnia perspexissemus, quæ huic negotio inservire, & lucem nobis fundere posse videbantur. Nec tam exornandi illa mens mihi fuit, quam intelligendi, siquidem multorum allegatio in decus scripturæ contentens mei tunc scopi non fuit, sed tantum genuini sensus, quousque vires permitterent, sollicita indagatio.

A 2

§. 2.

§. 2. Quamvis igitur privatam illud cum discipulis colloquium, quod ultimo loco ex initiis Cap. XVII. perquisitum est, quodque remota jam majore populi turba institutum fuisse mihi maximopere videtur, ad confirmationes discipulos, atque ad ipsos etiam Apostolos, qui expresse tandem v. 7. nominantur, ex illa parte directum esse fateamur: nihil tamen inde efficitur, quod nos urgeat, quo minus ad recentissimos potissimum discipulos initium c. XVI. spectare, & telonas omnino peccatoresque includere existimemus atque defendamus. Neque enim vox μαθητής contra nos esse putanda est, quæ majores minoresque discipulos includit, ingenio, disciplina, ac vario progressu non parum differentes, qui pro circumstantiis & subjectionum limitationibus Exegetæ magis quam Interpreti, imo necessario, nisi confusionem cupiat, sunt distingvendi.

§. 3. Et quidem quod ad ipsum vocabulum attinet, est illud in scriptura πολύσημον. Aliquando sumitur generatim pro omni eo, qui artis vel disciplinæ alicujus addiscendæ gratiâ alteri se adjungit, uti videre est Luc. VI. 40. & ἐστὶ μαθητής ὑπὲρ τὸν διδάσκαλον αὐτῶ, & Matth. X. 25. Ἀρκητὸν τῷ μαθητῇ, ἵνα γένηται, ὡς ὁ διδάσκαλος αὐτῶ. Nonnunquam accipitur in N. T. speciatim pro quibuscumque quorumcumque magistrorum vel doctorum affleclis & sociis, doctrinam eorumdem vel defendentibus, vel amplexantibus. Cumque in illa N. T. Scriptura quatuor eum primis celebriorum Doctorum vigeant nomina, *Mosis*, *Phariseorum*, *Jobannis*, & *Christi*; totidem quoque in ista discipulorum celebrantur classes differentes. Hinc leguntur discipuli *Mosis*, Job. IX. 28. Σὺ εἶ μαθητής ἐκείνου (τῷ Ἰησοῦ,) ἡμεῖς Μωσέως ἐσμὲν μαθηταί. *Phariseorum*, Matth. XXII. 16. Ἀποστρέψου (ὁ Φαρισαῖος) αὐτῶ (τῷ Ἰησοῦ) τὰς μαθητὰς αὐτῶν, &c. Qui Phariseorum discipuli & ipsi Pharisei audiunt Marci XII. 13, non quidem è confirmatiore professione, sed tantum è doctrinæ initiantis. Conf. Marc. II. 18. *Jobannis*, Matth. IX. 14. προσέρχονται αὐτῶ οἱ μαθηταί Ἰωάννου, λέγοντες διὰ τί ἡμεῖς καὶ οἱ Φαρισαῖοι νηστεύομεν πολλά, οἱ δὲ μαθηταί σου ἐνηστεύουσιν; & Cap. XI. 2. 3. ὁ Ἰωάννης --- πέμφας δύο μαθητῶν αὐτῶ, εἶπεν αὐτῶ (τῷ Ἰησοῦ) Conf. Cap. XIV. 2. Marc. II. 18. VI. 29. Luc. V. 33. VII. 18. XI. 1. Joh. I. 35. & 37. III. 25. & denique *Christi*; cujus vero discipulis tributum vocabulum μαθητής non eundem semper retinet significatum.

§. 4.

§. 4. Primo enim denotantur eo nomine *duodecim Christi discipuli*
pecuñiarios & domestici, Matth. X. 1. & seqq. Marc. III. 13. & seqq. Luc.
 IX. 1. & seqq. regnum DEI annunciatum ire iussi. Occurrunt in hanc
 sententiam loca præter adducta, apud Matth. XIV. 15. 16. 19. Marc.
 V. 13. Luc. VIII. 9. 22. Joh. II. 2. & infinita alia. Deinde *septuaginta* illi
 viri, qui à Christo Luc. X. 1. & seqq. missi sunt. Tertio omnes illi, qui
 Christo in terris conspicuo vel clam vel palam *adherentes* doctrinam
 ejus secuti sunt, aut certe audiverunt, Joh. IV. 1. Ἰησοῦς πλείονας μα-
 θητὰς ποιεῖ καὶ βαπτίζει ἢ Ἰωάννης. Conf. cap. I. 49. VI. 60. 61. 66. VII. 3.
 IX. 17. 28. XXI. 2. Matth. VIII. 21. XXVII. 57. Luc. XIX. 37. 39. XXIV. 13.
 coll. v. 18. Denique nomen discipulorum Christi gestant omnes, quot
 quot sunt, qui cum discipulis Christi, vocabulo hoc in strictiori signi-
 ficatu gaudentibus, in eo conveniunt, quod *doctrinam Christi post ejus-*
dem ascensionem in celos vel proficantur, vel amplectantur, Act. IX. 1.
 ὁ Σαῦλος ἐμπνεύων ἀπειλῆς καὶ φόβου εἰς τοὺς μαθητὰς τῆς κυρίας. Conf.
 vers. 36. Cap. I. 15. VI. 1. 2. 7. IX. 10. 19. 25. 26. 38. XI. 26. 29. Cap. XIV.
 20. 22. 28. XV. 10. XVI. 1. XVIII. 23. 28. XIX. 1. 30. XX. 1. 7. XXI. 4. 16.

§. 5. His prælibatis, facilius erit dispicere, quoniam discipuli huc
 pertineant. Et tres priores quidem discipulorum in sacris paginis ob-
 viorum classes, qui *Mose, Johanni, Pharisæis* suum nomen dedere, huc
 non spectare, clarum satis est ex adjecta in versiculo determinationis
 vocula *ἐπισκ*. Quarta igitur classis sola, quæ *Christum* spectat, spectan-
 da hic est. Sed angustioribus adhuc cancellis includi poterit eorum
 consideratio. Ultimi enim generis Christi discipulos quis trahere huc
 vellet eos, qui Christi in vita hac mortali superstitis nondum disci-
 puli exstiterunt? Oportet igitur, ut Christus ad eos, qui vivo circum-
 fuerunt, atque ita vel ad XII. Apostolos, vel LXX. discipulos, vel de-
 nique ad quosvis in genere auditores sibi agglutinatos verba fecerit.
 XII. Apostolos, discipulos Christi ordinarios, illos fuisse, probari in-
 victis argumentis non potest, nec ulla eorumdem in toto anteceden-
 tium contextu expressa occurrit mentio. Idem dici licet de LXX. illis
 paulo inferioris ordinis Apostolis. Sed neque de tertii generis disci-
 pulis ex vocabulo quidem ipso res satis certa est.

§. 6. Ergo Exegetæ integrum, imo necessarium est, eam vocis si-
 gnificationem eligere, quæ contextui omnium optime congruit, me-
 mori

mori illius, *Talia debere ubique intelligi subiecta, qualia permittuntur
intelligi à suis predicatis.* Jam vero discipulorum prædicata in con-
textu nostro e. gr. sunt, quod conciliare sibi debent amicos *ἐκ τῆς
μαμωνᾶς.* Oportet igitur, ut τῆς μαμωνᾶς ad hunc scopum satis suffici-
enterque instructi fuerint. Audiamus amplius. Mammon odiosum ini-
quytatis nomen habet appositum. Si est Mammon iniquytatis, neces-
sum est, ut insigniori aliqua de causa talis vocetur. Quæ qualis esse
potest, nisi quod injusto titulo illud, quod per Mammon intelligitur,
huc usque iis adhæreat. Porro certi nondum sunt de receptione sua
ἐς τὰς ἀνάγκας οὐρανῶς jam facta, sed hoc ipsum, quantum in ipsis est,
largiori divitiarum injuste à se possessarum distributione inter ege-
nos DEI servos faciendâ *παύδα γὰρ οὐρανῶς* quætere debent.

§. 7. Sane illa, ut alia non adjiciam, de priorum duorum generum
discipulis Christi dici nequeunt. Non illi adeo abundarunt divite re-
rum usu, ut peculiariter de facultatibus inter pauperes distribuendis
à Christo admonendi fuerint, & quidem, uti adjicitur, ut amicos sibi
compararent, qui beneficentiæ istius aliquando memores eam susce-
ptionis gratiam iis retribuunt. Quid opum humanarum possidere vel
retinere potuerunt discipuli, & maxime omnium Apostoli, quod me-
morabili τῆς μαμωνᾶς nomine veniret, qui abdicatis, & quousque lice-
bat, relictis etiam bonis terrenis omnibus, amicis ac cognatis cario-
ribus, patribus, matribusque, fratribus ac sororibus, conjugibus ac
liberis, domiciliis, agris atque instrumentis omnibus rem familiarem
augmentibus, Christi inhæsero vestigiis? quid, inquam, his, exteriora
si spectes, misellis facultatum terrenarum ad talem splendorem, qui
cum tantis summis, quales in præcedente narratiuncula repræsen-
tantur, comparari posset, superesse potuit? Ego certe ita arbitror,
quemadmodum iis ad vitam debilem hanc sustentandam proprio
ipsorum testimonio, ex quo Christo agglutinati fuerunt, nihil un-
quam defuit, Luc. XXII 35., ita eos ab exuberante quoque rerum co-
pia remotissimos fuisse. Supellectilem non lego divendidisse Apo-
stolos, eorumque socios, ut promptam pro ea pecuniam, suam vel ali-
orum recens accessorum in usum sumerent, sed potius ex mandato
Christi omnia reliquerunt, quemadmodum Petrus & suo & disci-
pulorum nomine Servatori id fere quodam modo exprobat, aut sal-
tem

tem ad querulorum instar procaciore voce addita recenset, Matth. XIX. 27. idemque, quod ad relictionem bonorum attinet, de cæteris sentiendum esse discipulis Matth. VIII. 19. - 22. aliaque occasione Luc. IX. 57. f. docemur.

§. 8. Sed largiamur sane, suppetiisse discipulis Christi aliquas facultates, ex quibus largiores pauperibus eleemosynas præbere poterint: qui vero hoc conciliabitur, quod Mammon ibi iniquitatis vocabulo cognominetur? Anne viri isti Christo sacratissimi opes, salvis magistris sui præceptis ac consortio possidere potuerunt, quas injusto titulo sibi corrasissent ac vindicassent, atque in hunc usque diem sibi reservassent? an non potius omni iniquitatis studio vale dicendum fuit, antequam in purius istud Apostolorum Collegium admitterentur novitii? Injurii sumus in viros optimos, Mammon iisdem iniquum si tribuere volumus: non enim alia ratione hoc Mammon *admas* intelligendum, infra ostendere annitemur.

§. 9. Pessime porro quadrat ad hos Christi discipulos, quod sub liberalitatis conditione receptio in æterna tabernacula promittitur. Sane quocumque modo *divites omnias* explices, aliqua tamen ratio ne hi Christi discipuli in easdem recepti jam fuerunt. Quas cum nondum substantiali sua ipsorum præsentia (si cui forte rationem æternitatis habere lubeat,) inhabitarint, tenuerunt tamen eas certe jam tum indubitata spei certitudine, unum si Iscarioten excipias, qui tamen ne ipse quidem ab ipsa spe tum temporis omnino exclusus fuit. Unde illud effeci volo, nihil opus fuisse præceptione aliqua tali, quam & futura susceptionis causa efficerent, & uti ostensum, ne implere quidem potuerunt.

§. 10. Quemadmodum autem, quæ hæcenus allata sunt, inconvenientissime XII. Christi Apostolis, aut LXX. ejus discipulis reliquis tribuuntur, ita optime conveniunt iis, qui præter ordinem nonnunquam Christo sive palam sive clanculum advenerunt, atque adhaeserunt, audiendi eum causa. Divites inter hos sæpe fuisse, quis mirabitur, qui audiverit, quod Nicodemus, & Josephus Arimathia oriundus clanculum discipuli Christi fuerint, ac tales in Evangeliiis appellati sint? Quis nescit, iniquos alienarum opum corrasores iis interfuisse, qui sæpe dimidium suorum bonorum & amplius divisissent, dum
a Pha-

à Phariseis spem receptus nancisci quivissent, in quibus Zacchæus memorabilis, à Christo qui susceptus est Abrahami filius, Luc. XIX. 5. seqq. Quis est, qui dubitat, tales homines, qui expertes regni DEI habebantur, æternorum tabernaculorum fuisse avidos, ad quæ norant non auro, sed gratia divina ingressum parari? Id vero omne, ut brevibus multa comprehendam, vel sola publicanorum frequentia servatori sapius ad hærens, uti è Marc. II. 13. seqq. & Luc. V. 27. seqq. itemque Matth. IX. 9. seqq. cognitum est, & vincit. Qui cum & in contextu nostro Christum, salutis vias præeuntem, securi sint cap. XV. n. jure optimo cum reliquis Christum amplexantibus discipulorum, nomen possunt gerere.

§. II. Hos igitur ipsos apud Evangelistam, τὰς μαθητὰς primo capitis XVI. versiculo etiantem, plane non prætereundos, sed juxta reliquos tantum non præcipue intelligendos omnino censeo. Atque hi quidem ad Christum cum omnis generis peccatoribus aliis appropinquarent, ut media salutis consequenda ex eo discerent. Quæ egregia ac laudabilis ipsorum cupiditas & desiderium frustrari nullo modo debebat. Quamvis igitur Pharisei & legis periti murmurationibus suis suaque invidia Christum à proposito cupidissimos hos doctrinæ auditores erudiendi atque ad salutem instruendi per horulæ spatium abstraxissent, quamquam ipsius altero in sermone confirmari etiam peccatores ac telonæ poterant: non tamen voluit Christus eos sine speciali doctrina à se dimittere. Exordienda igitur erat concio, quæ jam antea ipsis destinata fuerat, & cujus gratia ipsi publicani & peccatores ad Christum accesserant: id quod voluit illa verba: εὐχρηστὸν δὲ ἔργον τὰς μαθητὰς αὐτοῦ, nempe ad illos omnes, qui viam salutis addiscere cupiebant. Sed de his quidem satis, postquam id nunc patuit, τὰς τὰς μαθητὰς nec Apostolos, nec septuaginta discipulos, sed illos esse, quos nunc temporis Christus discipulos novellos natus fuit. Quæ dum claudio, observo Erasmus paraphrasi ad hæc & connexa verba finita irā scribere, hos sermones omnes dictos esse, his, qui se credebant esse posse Christi discipulos, onustos sollicitudine divitiarum: & clarius etiam Lightfootum in Hor. Hebr. ad h. l. eadem ferme, quæ dixi, apposite sentire, sicut is videri potest ad Luc. XVI. 9. n. IV.

APHO-

APHORISMUS II.

Amici per discipulos ex Mammona iniquitatis comparandi, generatim quidem fuere professores regni cælorum omnes, sed maxime tunc temporis pauperes & inter evangelizandum aliena opis saepe indigentes Apostoli atque Evangelistæ, eorumque deinde tum adiutores, tum successores.

§. 1. **Q**uam sint Amici per iniquitatis Mammonam acquirendi, dubium ubique visum est. Alii pro pauperibus in genere loquuntur. Scilicet Barradii T. 3. Com. in Conc. Ev. l. 4. c. 1. *verisimilius videtur, de omnibus pauperibus locum intelligendum, quibus eleemosyna tribui potest: Nec videtur Stapletonus Promt. Moral. in hunc textum, plane alienus esse, qui per amicos intelligit, quos per eleemosynas amicos fecimus pauperes & indigentes, de quibus bene meriti sumus; imo, ut vel ipsi nos recipiant, si boni sint, vel certe non illi, sed misericordia opus recipi nos faciat.* Sic Did. Stella Enarrat in h. l., sic plures alii indifferenter pauperum meminerunt. Ipse nostratium Doctor optimus B. etiam Lutherus de pauperibus generatim loquitur in der Kirchen = Postill ad hunc textum cum exclusione sanctorum cœlitum. Was wollen wir denn hiezu sagen/das Christus spricht; Waschet euch Freunde u. s. f.? Das wollen wir sagen/aufs Erste/das dieser Spruch nicht redet von den Heiligen im Himmel/ sondern von den Armen Dürftigen auf Erden/ die mit uns leben/ Als solte er sagen; Was bauest du Kirchen/ stiftest den Heiligen/ und dieneest meiner Mutter/ S. Petro/ Paulo/ und anderen verstorbenen Heiligen? Sie bedürfen weder solches/ noch keines deines anderen Dienstes/ sie sind auch nicht deine Freunde/ sondern derer/ die zu ihren Zeiten gelebet haben/ und ihnen wol gethan haben: warte du deiner Freunde/ das ist/ der Armen/ die zu deiner Zeit und bey dir leben: deiner nächsten Nachbarn/ der deiner Hülfe bedarf/ den mache dir mit deinem Mammon zum Freunde. Eadem mens Balduini, Wigandi, aliorumque ad h. l. annotantium.

§. 2. Alii ad solos iustos egentes restringunt. Sic August. l. 2. Quæst. Evang. c. 34. *iusti & sancti significantur h. l. qui eos introducant in æterna tabernacula, qui necessitatibus suis terrena bona communicaverint.* Eodem Costerus Jesuita in Conc. ad hoc Evang. contendit, qui, postquam dixerat: *illi porro, quos moneo facere amicos, pauperes sunt,*

aliquanto deinceps non intelligendos, ait, pauperes quoslibet, qui nec ipsi jus aliquod propter vitia & crimina sua ad regnum caelorum habent; sed amicos facite, quorum, (uti Hieronymus & Augustinus loquuntur) est regnum caelorum, nempe homines pios, sancta vita, quorum alii pro te orent, ac salutem impetrent; aliqui te meritorum suorum participem faciant; aliqibus vero & tu sis salutis causa. Sic Franciscus Polygranus Enarrat, in hoc Evang. Est fidele Servatoris nostri consilium, ut hinc amicos nobis faciamus, ut, cum propria nobis defecerint, ipsi pauperes, quorum caelum est (in marg. cit. Matth. V, Luc. VI.) in aeterna nos recolligant tabernacula. Datur ergo caelum pauperibus gentis, divites vero ab his emere debent. Nimirum ita decrevit divina sapientia. Et quia pauperes hic non habent, quod benefactoribus rependant, constat, ut, cum acceperint aeterna, quibus abundant, suis hinc benefactoribus fiant debitores.

§. 3. Coesterus, cujus paulo ante memini, Monachos potissimum & religiosos hic spectandos esse censet, quando subjungit, optime & utilissime erogata esse eleemosynam, quando collata sit in eos, qui hic in perfectionis statu vixerunt, ac jam, secundum quod Christus promisit, mundi iudices sunt. Potest autem, pergit, haec eleemosyna multipliciter fieri: (1.) si monasterium aliquod aut pia congregatio tam seminarum, quam virorum domum adifices, legans eis, qua ad necessitatem requiruntur, tunc enim causa est honorum omnium, qua inibi quolibet tempore fiunt. (2.) Si Collegium fundes pauperum studiorum secularium, eo fine, ut ecclesiastici fiant, ecclesiam eruditione sua promoveant, concionibus, libris, scribendis, audientis confessionibus, docendo aut alio quovis modo: bona enim ab ipsis praestata, tibi quoque accensebuntur, (3.) si fundes religiosam aliquam domum, monasterium aut collegium, in quo utraque haec praesentur, ut scilicet secundum perfectionis regulas vivant, & alios instruant, sive ad propriam salutem, ut sit concionibus & sacramentorum administratione; sive ad juvandam quoque aliorum salutem, ut sit lectionibus & institutione juventutis. Atque eleemosyna haec omnium videtur utilissima, cum caetera omnia continet. &c.

§. 4. Coesterus nostros amicos extendit, moralibus studens, ad tres ordines, quando in Homiliis ad hoc Evang. ita docet: Quomodo vero utendum Mammona, ut ista expiret iniquitas? Id vero docet Christus, iubens, ut nobis beneficentia faciamus amicos. Et tales quidem no-

vis facere possumus, & debemus in omnibus tribus Hierarchy sive ordinibus vite: (1.) in ordine Ecclesiastico, Ministros verbi & Scholarum, ubi Sir. V. 31. XXXV. 11. & Gal. VI. citantur: (2.) in ordine politico Magistratum, Rom. XIII. 6. Date veltigal, honorem &c. (3.) in Oeconomico Pauperes, ubi Esai. LIIIX. 7. & H. br. XIII. 16. citat.

§. 5. In Purgatorium quomodo descendant Pontificii, atque ibi etiam amicos ex mammona faciant, supervacuum est scribere; charta potius in hoc signentorum genere parcendum. Id certe nimis ludicrum est, quod P. Abraham Ord. Augustin. Discalc. in tractatulo pro miseris in Purgatorio animabus scripto, & Bösch Wien inscripto partic. 9. Danck der Verstorbeneh Wiener p. 80. è Martini Sac. Trig. de Itrone in quatuor diversim suspensas partes dissecto, & in gratiam juvenis luxuriosi insidiantium globos excipiente, & p. 88. è Thoma Cantiprat. magno de numero mortuorum in purgatorio ejuspiam precibus & beneficiis adiutorum & pro mortuo benefactore manifeste precantium recenset.

§. 6. In caelum ascendit Ambrosius in iis verbis: *Ait Dominus: Facite vobis amicos de iniquo mamona; ut largiendo pauperibus angelorum nobis ceterorumque Sanctorum gratiam comparemus.* Ad sacros caelites, Angelos DEI applicuit oculos, observante id non tantum è Reformatis Tossano in Comm. ad h. l., sed & è Pontificiis Barrad. Comment. in Conc. Evang. h. l. qui tamen ipse ceteroquin pauperes intelligens, *extendi sensum posse existimat*, & pag. 246 jubet *facere ex Mammona amicos pauperes, justos homines, angelos, DEUM.* Omnes, addit, *hos amicos sibi parare ex mammona potest.* Sanctos in caelo degentes & B. Matrem DEI amicos ex mammona erectis templis, altaribus, aliisque cultuum commentitorum propugnaculis fieri posse, ut susceptores fiant in regni DEI caelestia, defendendum iis relinquimus, qui ingeminare illud siveverunt: *Tu nos ab hoste protege, in hora mortis suscipe.* Nos quidem signentis illis non immorabimur.

§. 7. Addenda est illorum tandem sententia, qui DEUM & Christum sentiunt hos amicos esse, qui per benefacta pauperibus distributa conciliuntur. Ita Tossanus Comm. ad h. l. non tantum à quibusdam DEUM per amicos intelligi ait, sed & deinceps addit: *Sensus ergo hujus loci est: Benefacientes pauperibus ex fide & propter Christum, ut dicitur Matth. X. habituros DEUM amicum & propitium, & inventuros mul-*

eos amicos in regno caelorum &c. Cui aliquo modo praevisse videtur Melanchth. in Annot. ad hoc Evang. qui: *Præceptum*, ait: *clare mandat, ut recte utamur facultatibus, cum jubet facere amicos Christum, & Sanctos de divitiis.* Expressius Lightf. in H. H. ad h. l. pauperes suo arbitrato excludens. Sic enim ille pag. 846. *Quamvis conciperem & vix tamen supponerem, pauperes esse amicos, de quibus est sermo, sed DEUM & Christum, ut Matth. XXV, 35. &c. Nam quoniam alii possunt recipere in tabernacula aeterna. Quod de pauperibus, in quos collata fuit eleemosyna, sic facientibus fingitur à nonnullis, somnium est, & risum meretur potius, quam examen.*

§. 8. Ita differunt sententiæ, quarum tamen aliquæ, & Pontificiæ præsertim, sua statim vanitate se produnt; aliquæ inter se conciliari possunt. Quid igitur nobis genuine ac literaliter sentiendum videatur, nunc dicendum est. Scilicet amici per iniquitatis Mammon acquirendi, melius non cognoscuntur, quam si geminæ comparationis, quæ in contextu habetur, extrema rite expendantur. Sic ex altera parte comparationis materia est (1.) iniquus dispensator, qui amicos, à quibus susciperetur, sibi comparasse dicitur ex alienis domini sui opibus. Et respondent huic (2.) novi Christi auditores vel discipuli, qui imitari iniqui dispensatoris solertiam, & ex tot hominum, quibus sua forte extorserunt, subtraxerunt, abstulerunt, quibusque propterea obstricti omni jure divino ad restitutionem manent, bonis vere alienis, aut ex opibus certe non recte administratis, conciliare sibi amicitiam eorum jubentur, per quos suscipi in divina tabernacula possint. Ex altera parte comparantur inter se (1.) Amici liberalitate iniusti æconomi conquisiti, qui æconomum suscipere in sua tabernacula vel habitacula potuere, quibus similes sunt (2.) ii, quos sibi recentes Christi discipuli, æconomum imitati, amicos adjungere debent. De singulis pauca videbimus.

§. 9. Iniquus dispensator, qui ad imitationem Hebræorum in textu originali *ὁ δίκονόμος τῆς ἀδυναμίας* dicitur, talis dici putandus utique est propterea, quod primum heri sui bona, uti fas erat, debitis incrementis non auxerit atque amplificaverit, quod variis ea modis neglexerit, ac misere dilapidaverit, & quod tandem pestilentissimo prodigiorum more etiam domini bona futuris, quos sperabat, amicis dilargiendo mire imminuerit. Non forte sine ratione, licet hoc ex sermone

mone Christi clare non pateat, illud *ἀδικίας* nomen quoque involvit, (namque injusto huic hominum generi id fere proprium esse solet, ut nec uni, nec uno modo noceat) quod interdum heri sui debitoribus præter fas justumque solvendorum summam auxerit, ac, si quando potuit, duplicaverit, eosque male habuerit, ea, quæ præter justum ac constitutum expressisset, nefarie vel suis usibus, vel tuendis aliquando rationibus callide interferturus. Quod si fuerit, id quod deinde debitoribus heri sui magno ejusdem cum malo ac damno remisit, fors aliqua pars ejus fuisse intelligetur, quod ipse antea dolis malis fraudibusque iisdem extorserat, non secus ac ipsi publicani, qui, quamquam eos, eorumque magistris Cicero sæpe commendet, tamen crudeles & avari fere semper existere credebantur; sin minus id fecerit œconomus, satis certe injuriæ fuit, quod iis sui commodi causa domini sui bona concessit, & satis etiam calliditatis, quod hac ratione sibi de domicilio & alimento prospexit.

§. 10. Discipuli Christi dispensatoris prudentiam imitari jussi sunt, uti ostensum antea est, hic potissimum *πάντες οἱ τελῶναι καὶ ἀμαρτωλοὶ*, vers. 1. Cap. XV. Quorum illi, cum primo loco ponantur, non incongrue videntur etiam primam ac præcipuam considerandi rationem in contextu mereri, quippe qui in illo tertio cum œconomis iniquitatis maxime conveniunt, quod utriusque incredibili sua avaritia & rapacitate alios indignis modis presserint vexaverintque. Sane quam intolerabiles & crudeles aliorum oppressores publicani fuerint, notum satis est, quippe quorum in laudem haud verti potest notata ab eodem, cujus supra memini, Cicerone *acerbissima exactionum* neque ostiorum, L. III. Fam. Ep. 8. De quibus hic amplius agendi campus non aperitur: conferri autem potest Godw. in M. & A. L. I. C. 2. aliique. Profecto quam illi statis vectigalium & publicarum pecuniarum solutionibus contenti sæpe non fuerint, vel ex sola historia Evangelica non ignoramus. Testis hujus rei luculenta est illa Johannis instructio, qua publicanos ad baptismum suum venientes, quidque se facere oporteat, sciscitantes, non voluit defraudare Luc. III. 12. 13. *ἡμαρτωλοὶ* vero allegati varii erant quidem peccatores, ii que tantorum criminum rei, ut, cum pro illa temporis ratione non ita promte lapidibus obruerentur, ex ecclesia certe seu synagoga ejecti viverent; non autem speciatim decrant, qui vel ex aliis criminibus, vel ex ma-

fore,

fore, quam licitum erat, cum excommunicatis, gentilibus & Samaritanis consuetudine, vel ex proprii corporis copia minus honeste communicata quæstum jecerant; tales enim homines utriusque sexus ἀμαρτωλῶς vocatos esse, recte concluditur ex Luc. VII. 37. 39. quo etiam nomine ipsum Dominum nostrum infamare voluerunt. Judæi Joh. IX. 24. refutati vers. 39. 33. Sed ad alteram comparationem paullo propius!

§. 11. Amici ergo, quos injustus ille dispensator illicita sua munificentia sibi copulare quæsitivæ, sine ullo dubio fuerunt ex iis, qui in ipsius rationes contribuerant, quique iniquis ac diris, credo, extorsionibus & vexationibus ab iniquo illo insuper satis diu pressi ac defatigati fuerant: ut satis causæ habuerit removendus ab officio dispensator, cur hominum ejusmodi amorem ac gratiam sibi reconciliaret, præcipue eorum, quorum domibus suscipi sperabat.

§. 12. Amici vi comparationis, quos præsentis Christi auditores per iniquitatis Mammon suos facere monentur, si quam convenientiam habere debent cum illis, quos iniquus dispensator sibi acquisivisse dicitur, ea ut ostendatur, necesse est. Ergo hanc esse illam puto. Quemadmodum conciliati illi aut iniquis exactioibus à creditoris sui œcono-
mo illo in se collatum viderunt; ita & hi publicanis & peccatoribus conciliandi meliores amici ab iis partim (conf. Matth. XVII. 24. seqq.) mirum in modum vexati fuerunt, partim inopiæ suæ nihil auxilii afferri viderant. Quemadmodum sine istorum vel recuperata vel acquisita gratia removendus ab officio œconomus miseræ vitæ suæ consuli posse non vidit; ita etiam sine horum tum reconciliato, quantum fieri poterat, per restitutionem, tum ibi illa non valebat, per piam erogationem, vel piorum sublevationem, conciliato amore excludendi ex æternis tabernaculis mansere omnes divitiis nimium invigilaturi præsentis Christi auditores, publicani & eorum socii peccatores. Quemadmodum vero etiam isti ad meliorem gratiam per munificentiam œconomi callidam perducti, eidem tempore calamitatis & egestatis domicilium præbendi rationem habuerunt; ita pariter & hi hæredes regni cælorum partim per justam restitutionem eorum, quibus defraudati ac læsi antea fuerant, partim per novam in pios largitionem, perque evangelizantium, de regno cælorum peccato-

ribus

ribus aperiendo recreationem amici redditi & conciliati, potuerunt, imò debuerunt publicanos ac peccatores ingressu in aeterna tabernacula non arceri, sed multo potius in eadem invocare, & praesente iusta informatione suscipere.

§. 13. Jam porro videamus, quinam isti esse commode queant, sine quorum (ut alia non urgeamus) amore reconciliato & conciliato publicani & peccatores aeternis habitaculis exuti fuerunt, & (2.) quinam debuerint ac potuerint ex injusto Mammon per benevolentiam ac liberalitatem publicanorum aliorumque peccatorum iis conciliari, ac (3.) quinam potestatem habuerint eosdem in aeterna habitacula recipendi? In his vero esse quidem aliquomodo potest DEUS quatenus mediate ad ipsum pertinent, quæ immediate ad pios sive bona sive mala redundant; verum Filius DEI hic non tam de eo, quod mediate DEO fieri, quam literaliter de eo, quod hominibus fieri debet, clare loquitur, sicut idem & comparationis vis, & amicorum in plurali nomen innuit. Nec de Angelis hoc literaliter capi potest, quamquam deinde, cum bonis bene sit, illi quoque beneficiis eorum sint amici. Ad sanctos caelites alios referenda hæc tanto minus, quanto minus de mammona nostro aliquid norunt; quæ ratione & de animabus in purgatorio vel limbo patrum existentibus nihil hic dicitur, quippe quæ loca sunt figmenta ociosa rationis. Quæ de tribus statibus Hierarchicis afferuntur, potius moralia, quam literalem sensum continent. De pauperibus in genere etiam sive bonis sive malis capi hæc commode nequeunt, quia meli nec precibus quemquam DEO commendant, neque dum mali sunt, in ea tabernacula quemquam recipere possunt, in quibus ipsi locum non habent. Iusti vero pauperes non male hic intelliguntur, sed non sola sub ratione paupertatis vel indigentiae, sed quam maxime etiam sub ea ratione, qua Evangelium de regno aeternarum habitaculorum afferere, & vel inter extrema pericula docere poterant ac debebant.

§. 14. Nihil ergo reliquum est, nisi ut hos, quos Christus commendat, amicos esse dicamus profectores regni caelorum propriis nunc in ius facti, maximeque tunc ad Evangelizandum missos. Christi Apostolos, eorumque successores & postea successores. Hi sunt, quos licet etiam superflue dicam) sine dubio interdum æque ac alios vexaverunt publicani, & laeserunt peccatores, Matth. XVII. 24. seqq. & sine quo-

tum

rum amore & consortio conciliato regni æterni hæredes fieri peccatores non potuerunt, Luc. X. 10. — 16. Hi sunt, qui à publicanis aliisque in varia egestate & inopia evangelizantes victu & amictu sublevati, variaque ope sæpe indigentes recreari, atque ita ad promittendam regni cœlorum cõmunionem invitari poterant Matth. X. 9. — 13. Conf. uti Luc. XIX. 1. seqq. ita Act. XVI. 29. seqq. Hi denique sunt, qui jus habebant, eosdem regni sui participes, tum per præmissas preces, tum per informationem, tum per peccatorum remissionem & baptismum reddendi, siquidem claves regni cœlorum iis erant commissæ Matth. XVI. 19. XIX. 19. XXVIII. 18. 19. 20. Hos ergo præcipue adungere sibi jubentur publicani & peccatores, præfentes tunc Christi auditores, quo pacto mediate DEUS & Christus, & omnes sancti angeli in cœlis, piique in terris iisdem non poterant non simul favere.

§. 15. Quod si quis forte putet, ita suspectum ipsum DEI Filium se reddidisse de avaritia aut cupiditate alienorum bonorum sibi vel suis elliciendorum: ei respondemus, spontaneam Christi & suorum inopiam, & abdicationem terrestrium bonorum omnibus per Judæam & Galilæam ipsum noscentibus fuisse cognitam, neque ipsum quidquam suis expetiisse, præter victum ordinarium & communioem, non magnificum aut opiparum Luc. X. 7. neque umquam ullum Apostolorum puduisse aditus ad viros bonos sumendi cibi causa, unde nulla avaritiæ, & habendi lubricis suspicio contra eos vel ipsorum Dominum concipi potuit, & si in quemquam ea cecidisset, verum hic etiam mansisset verbum illud Matth. XI. 6. *Μακρείος ἐστὶ, ὃς ἐὰν μὴ σκανδαλιθῆ ἐν ἐμοί.*

§. 16. Cæterum in hoc de amicis evangelizantibus negotio sententiæ nostræ affinis est Erasmi Roterod. Paraphr. in Evang. Luc. ad h.l., qui, postquam dixerat de erogatis in pauperes terrenis facultatibus, paulo post subjicit: *Etenim qui facultatibus suis adjuvat Evangelii negotium agentem, hic vicissim in regno cœlorum Evangelistæ beneficiis sublevabitur:* quo sensu deinde addit: *ita fieri, ut, quod reconditum injustum facit hominem, ac multis curis obnoxium, id erogatum fiat instrumentum Evangelicæ justitiæ, & sublevatur necessarius, qui servit Evangelio & merces ad largientem multo cum favore redit.* Et Wellerus in Anaott, ad Ev. & Ep. Dom. h.l. hæc ita explicat: *Est igitur sententia*

tia Christi: Vos debetis vestra beneficentia pios vobis parare amicos, ut ipsi sua doctrina ac precibus vos reddant vera membra Ecclesie, additque exempla Sareptanae, quae Eliam, Sunamitidis, quae Eliseum, Abdiae, qui Prophetas, Ebedmeleci, qui Hieremiam sua liberalitate, suisque beneficiis sibi amicos paraverint, per quorum beneficium in aeterna tabernacula pervenerint, veramque partem doctrinam de DEO acceperint. Quibus inaequalia non habet Ann. in Evang. ad h.l. Phil. Melancthon. Sareptanam ad Eliam, & Onesiphorum ad Paulum referens. Plura huc facientia legantur apud eundem Wellerum loco citato. Sed mittimus amicos illos, & pergimus ad explicandum ulterius illud medium, quo adhibito sibi conciliare amicos debeant hi discipuli Christi, de quo ager sequens

APHORISMUS III.

Mamon injustitia, quo parari debent amici, sunt opes inique vel parva, vel saltem possessa.

S. I. **M**trum in modum laboriosi ac multi fuerunt interpretes in solvendo hoc nodo, cur opes à Servatore tum mamona, tum etiam cum addito mamona iniquitatis nominentur? Apud auctores certe non adeo multos, si laboris non pigeat, numerari possent utriusque rei adductae tot rationes, quae lectorem defatigent, eidem tamen, si ad ingenii mei modulum alios metiri liceat, plerumque parum satisfaciant.

S. 2. Et quidem quod *ἑτυμολογίαν τῆς μαμωνᾶς* attinet, Graecis origo ejus tribuenda non est, unde, cujus praematura fata Christianus orbis eruditus plorare nondum desit, B. Pfeifferus in Ebr. & Exot. N. T. Loc. VII. vix audiendus esse, ait, qui contendunt vocem *μαμωνᾶς* dici, quasi *μαμωνᾶν* à *μαμῶν*, vehementer cupio, quod pro *μαμῶν* dici, & cum *μαμῶν*, cupio, quare, convenire notum est. Lusum hunc recte dixeris, qui si valere debeat, ipsa quoque Latinitas derivationem monstrabit, siquidem vocabulum Mamma, quod non tantum ubera, sed & nutrices ac matres, ubi & Graecum *Μᾶτα* congruit, & per Metonymiam facultatem nutriendi denotare potest, cum *μαμωνᾶ* eximiam convenientiam praefert, praefertim cum & ipsa Diana apud Epheseos culta Multimamma, velut copiose omnes animantes ac viventes nutriens, appellata sit. Nec foret omnino dispar nomenclatura respiciens ad Mamertem, qui Oschorum lingua

C

Mars

Mars dicitur: (Hubert. Goltzii Sic. & Magn. Græc. lib. I. pag. 271.) siquidem ita, sæpe Mammon per Mamertis seu bellorum violentiam, contradi, dici potest. Verum hæ derivandi rationes lusus ingeniorum sunt, quales esse possunt multi, sicuti laudatus ante Pfeifferus J. c. Græcum ἔρωτον rejiciens miratur, quod non potius huc accessant Turcicum Majmon, sumia, quippe quarum de promiitudine in nomenandis uummis jucunda sint, quæ habeat ex Nierenbergio Sperlingius Zoolog. Part. II. c. 3. pag. 157. idque forte eo facilius, quod Vollius & Maimona scribere non dubitavit.

§. 3. Rectius faciunt, qui ad Hebraicam linguam accedunt, quamquam varie accedant. Facit ita Joh. Wigandus Expl. ad h. Evang. Opes vocat Mammonam (scil. Christus) Hebraico vocabulo, quod significat largas facultates: unde autem arcessat, B. vir non addidit. Walrus ad Matth. VI. è Grotio: Quidam, ait (vocem hanc) & Hebraicam arblerantur, sed corruptam ex מַמּוֹן (pro quo rectius substituerim מַמְוֹן) quod est thesaurus. Id si verum est, optime hæc coherent cum superioribus πρὸς τὸ μὴ θησαυρίζεσθαι. Hesiychius certe μαμωνάων θησαυρόν interpretatur. B. Lutherus in Post. Eccl. ad h. l. sic censet: Mammon ist Ebräisch / und heisset so viel als Reichthum oder zeitlich Gut / nemlich das / das jemand übrig hat zu seinem Stande / und damit er den andern wol kan nütz seyn ohn Schaden. Denn Hamorrauf Ebräisch heisset Menge / oder großer Haufe und viel / daraus wird denn Mahamon / oder Mammon / das ist / die Menge des Gutes oder Reichthums. Quæ Lutheri verba in primo commate sua fecerunt paraphrastæ Vinarienses ad Luc XVI. 9., & Flacius idem uberius defendere nititur in Clave S. S. ad hanc vocem. Alii à מַמְוֹן, alii à מוֹם, alii ab מוֹן (quasi מַמְוֹן, sive ad confidendi, sive ad nutriendi significatum accesserint) quomodo vocem Mammon derivent, apud B. Pfeiferum l. c. videri potest: cui jung. Glass. Phil. S. lib. I. Tr. IV. sect. II. can. 4.

§. 4. Quoniam vero, qui Ebræam linguam urgent, ad ejus filias magnam partem attendunt, hinc alii alius linguæ mentionem faciunt. Syriacæ meminit Fœrsterus in Disp. Conc. ad hoc Evang. De origine tenendum est, quod nomen istud non sit proprie Hebraicum, aut Græcum, sed Syriacum, affine Hebraico חַמּוֹן, Hamon, copia, ubertas, à חַמּוֹן, copiosus fuit, opibus abunde circumfluxit. Ita Botfaccus in Mor.

Mor. Ged. ad hanc vocem: *Mammon* vox Syre, notans divitias, opes. & Friedlieb. Harm. Class. VII. ad Matth. VI. *Mammon* est vox Syriaca, significans lucrum, opes, pecuniam, divitias, quæ ad rem pecuniariam spectant. Fabro in Lexico eadem ratione est *Mammona* masc. vox Syriaca $\pi\lambda\sigma\tau\Theta$, der *Mammon*, allerley *Reichthum* so übrig und ohne Nothdurfft ist / *lucrum*. Et Pasor ad vocem $\mu\alpha\mu\omega\alpha\varsigma$ & $\mu\alpha\mu\omega\alpha\varsigma$ vocem origine Syriacam dixit ex Hebræo מָמוֹן , h. e. firmus fuit &c. Chaldaicæ lingvæ mentionem facit Vatablus in Not. ad Matth. VI. 24., ubi dicit, vocem Chaldaeam esse, quæ significat, opes & divitias. Grotius quidem non longe à nostro *Mammon* abire existimat vocem Chaldaeam מַמְוֹן , quam pro thesauris Daniel c. XI, 43. usurpat; sed propior tamen ipsa vox מָוֹן ei est, quæ ante dicta voce ap. Chald. Interpr. longe est usitatior. Non indignus hic est, qui allegetur etiam, Joach. à Beust Jctus in Orth. En. Evang. ad h. l. *Mammonæ* nomen, ait, significat divitias & copiam pecunie, lucrum, commodum, & creditur, *Mammon* esse vox Syriaca, vel Chaldaica, & non Hebræa, ut Hieronymus scribit: quia, sicut multi autumant, Judaicæ lingvæ in illo exsilio octoginta annorum tota mutata fuit in Syriacam vel Chaldaicam, retinens quidem corpus ipsum, sed tamen flexus & varietates multas accessisse. Sane (ut $\pi\alpha\delta\epsilon\gamma\gamma\alpha$ prætereamus) non erravit: Chaldaice enim מָוֹן esse lucrum & divitias, è Targumistis abundantissime patet, quippe qui vulgari gentis idiomate loquentes crebro eadem voce usi sunt. Verum quæ de Syriaca & Chaldaica lingvæ hic dicta sunt, se ipsa facile conciliant. De cætero apud Talmudistas vox illa *Mammona* ita est usui, ut judicis pecuniaria מַמְוֹנָא appellent, & varie de מָוֹן , de nocamentis *Mammonæ*, seu de damnis honorum & opum juridice scripserint.

S. 7. Ad Arabicam quomodo contendat Bochartus ad vocem מָוֹן ditefcere, unde *Malon* opes designans nascitur, respiciens, ac pro fundamento adducens, quod $\text{ל} \text{ו} \text{נ}$ sint literæ ejusdem $\text{αβλ} \text{α} \text{οι}$, apud eundem Geogr. S. part. II. lib. II. pag. 850. videri potest. Ex eadem lingvæ radicem Hebraicam מָוֹן restituere studuit Hottingerus, quam vult significasse olim, prospicere sibi de rebus ad vitam necessarius: ut ita מָוֹן à מָוֹן quæ commode descendat atque מָוֹן contentio, lis à מָוֹן descendit. Vid. Hotting. de Num. Orient. pag. 92. In lingvæ Punica August. lib. II. c. 22. de sermone Domini in monte, vocem *Mammon*

observat, per eamque *Punice divitias dici tradit*: idemque sermone,
 35. de verbis Domini ait: *Mammona apud Hebræos divitiæ appellari
 dicuntur. Congruit & Punicum nomen: nam lucrum Punice mammon
 dicitur.* Præter B. Pfeiferum & Botsaccum etiam Vossius de Physiolo-
 g. Christ. & Theol. Gent. lib. VIII. c. XVII. asserit, eam vocem *Augusti-
 ni ætate etiam in lingua Punica exstitisse.* Friedliebuis vero Harm.
 Evang. Class. VII. ad Matth. VI. ad Ambrosium provocans: *Mam-
 mon*, scribit, & *lingua Punica significat, notante Ambrosio, lucrum.*
*Punicam vero linguam attigisse Hebræam, non est dubium: siqui-
 dem Flacio teste Augustinus dicit, non lingua tantum Pœnorum,
 mammon vocari lucrum, sed & eam linguam Hebrææ affinem esse, quod
 & Priscianum annotasse ait.* Addere lubet, quæ è Grotio Walæus,
 Comment. ad Matth. VI. transcribere voluit: *vocem hanc μαμωνά
 Syriacam esse omnes testantur, & ostendit hoc etiam loco Syriaca inter-
 pretatio. Quod si Syriaca est, etiam Punica, ut nos Augustinus docet
 Serm. XXXV. de Verb. Dom. ubi lucrum interpretatur. Nam Pani Sar-
 ra oriundi.*

§. 6. Sed hæc hæctenus de iis, qui vocem מוֹמון consideraverunt velut
 simplicem. Neque tamen desunt, qui pro composita illam tractarunt,
 uti Buxtorfius citat, qui eam interpretati sint, quasi מוֹמון מוֹמון,
 tu vel ille es numerans? seu, frustra est, quod numerando pecunias
 animæ non provides. Barradius ad h. l. aliam, sed non suam tamen,
 his addit. *Jansenius, ait, dubia quædam derivatione nomen deducit à
 Præpositione Hebræa מוֹ, min, id est, à, & à verbo מוֹמון quod significat
 rapere, populari, vim inferre.* Quod si ita est, pergit, iniquum mam-
 mona dicitur à Christo juxta etymologiam nominis. Sed hoc durum, li-
 cet ex מוֹמון etiam in Part. Hiph. recte formetur מוֹמון opprimens seu
 oppressor. Pulchrius alterum, sed æque infirmum. Obscuriora vero
 hæc omnia, sive compositum, sive simplex esse contentas, quam ut
 certam Critico fiduciam permittant. Nisi tamen ex מוֹמון corrupta
 sit vox mammon, quod, ejecto licet radicali מוֹ, videri potest, ac
 textibus Matth. VI. & Luc. XVI. per quam convenire censeo, præ-
 placebit derivatio Hottingeri, quæ tamen ipsa etiam sola conjecturâ
 ad restituendum ex Arabico מוֹמון nititur.

§. 7. Sicut vero in Etymologia fluctuaverunt autores, ita & in aliis
 vocis accidentibus discrepant, præsertim ii, qui ad Latinam linguam
 Mam-

Mammonem transtulerunt. Sitne Mammona, an Mamona præferendum, quorum prius apud Matthæum, posterius apud Lucam scribitur, decidi facile potest, cum nota sit compensatio Dagesch exidentis per vocalem longam. Græcum ω quantitatem Syllabæ mediæ longiorem Latinis commendavit, unde Fabr. Lex. docet: *pronunciatur penultima longa*: & tamen vetustiores poëtæ brevitatem videntur delectati, ut ex Prudentii altero Hexametro, *Mammoneamque fidem pacis sub amore sequuntur*: & altero Trochaico: *Nosne Christo procreati Mammonæ dicabimur*: luculenter cernitur. In declinandi ratione non parum est discriminis, quoniam alii in primâ, vel sub forma *Mammona* in Genere fœminino, vel sub forma *Mammonas* in Genere mascul. ; alii in tertiâ *Mammon*, & quidem in Genere vel Masculino, vel Neutro; alii tandem velut indeclinabili vel *Mammona* vel *Mammon* in neutro genere hac voce utuntur. Vossius Masculine hoc nomine utitur, atque illud etiam Maimona scribit, uti paullo post dicitur. Sed id quidem perinde est; Legatur tamen Pasor ad hanc vocem, Svidam (forte & Hesychium) sequens: à quo tamen Schrevelius dissentit. Genus neutrum tamen apud Lucam quodammodo defendere videntur Cap. XVI. versus 11. & 12., ubi hæc sunt: *Εἰ ἐν ἐν τῷ ἀδίκῳ μαμωνᾷ πιστοὶ ἐκ ἐγγένεσθε, τὸ ἀληθινὸν τίς ὄμῳν πιστεύσει; &c.* Ubi in commate altero repeti debere videtur vel subintelligi *μαμωνᾷ*: quod Bezæ non displicuit, qui *μαμωνᾷ* se repetisse ἀπὸ τῆς κοινῆς ait. Neque tamen id contradicendi cupido satis firmum censebitur.

§. 8. Significationis cura quanto est utilior, tanto minus negligenda est; quamquam varia ejus jam supra mentio fit facta. Sumitur autem velut proprium, vel ut appellativum. Proprium pro Dæmonio quodam accipitur, applaudentibus non paucis: quam in rem Polygranus Pontificius Enarrat. in h. l. de *Mammona* dicit, *quod & divitiarum & dæmonii vocabulum esse Syris perhibeatur*. Confidentius autem Vossius de Physiol. Christ. & Theol. Gentili Lib. VIII. Cap. XVII. *Opibus apud Syros præerat Maimona, de quo & Christus in Evangelio. DEUM dicere omnino censendus est, quamvis index Vossianus ad hunc librum Maimonam divam facere videatur, quandoquidem ibi legimus Maimona, Ops. Ops vero indubie fœminini generis nomen fuit. Friedlæubius l. c. divinitatis hujus fictitiæ mentionem factururus:*

Mammon, inquit, *significat lucrum*: Unde *DEUS divitiarum fingitur*, qui dicitur *Græcis πλάστ*. Verum hæc sine dubio plus conjectura, quam certitudinis habent, sumta occasione tum ex oppositione *DEI* & *Mammonæ*, tum ex adjecta voce *δολέειν*, unde curum idololatricum proprium elicere voluerunt, qui tamen metaphoricus erat, *Ephes. V. 5. Coloss. III. 5.*

§. 9. Appellative autem vi vocis non significat fiduciam idololatricam in opibus, quæ ex voce *serviendi* accedit, nec injustitiam divitiis annexam, quæ voce *adivias* adjungitur. Sed, si ex *Π* deducatur, significabit, quod reconditum est in futuram necessitatem, si ex *Π*, designabit id, quo sibi quis de necessariis prospicit. Imo si ex *Π* descenderet, copiam innueret rerum ad vitam pertinentium, vel si ab *Π* derivaretur, optimo sensu indicaret id, quod nutriendo & suis educando aptum est. Unde *Fœrsterus* hoc vocabulum perquam late patere magnamque emphasin habere; & tum *κίνησις* immobilia, tum *χρησις* mobilia complecti asserit, & quidem in larga pro cuiusque statu affluentia: Unde cum nulla Græca vox ei apte respondeat, noluisse, ait, Evangelistas Syriacam permutare, ne quid ejus amplitudini & emphasi decederet, tandemque *Mammonam* describit, quando *DEUS* non solum panem quotidianum alicui largitur, sed adhuc aliquid amplius, quod super sit, & abundet, Germanice: *Wenn uns Gott* (verba addidit *Mörlini*) *über die tägliche Nothdurfft etwas giebt, das heißet Mammon.* Quidquid sit, tantum ex *Matthæo* & *Luca* patet, *Mommonam* affluentiam rerum ad victum & amictum, tectum & suppellectilem pertinentium significare. *Beato Pfeifero* *bona mobilia* & *immobilia ad vitam necessaria*, *allerhand Vorrath* hæc voce intelliguntur. *Erasm.* Paraphr. in *Matth.* *Mammonam* pro lubricine opes habendi videtur intelligere, nec *Paraphrasis Ernestina* dissentit, uti ex iis patet, quæ *Mammonæ* tribuuntur: Sed id quidem textus non postulat. Ex usu loquendi odiosiore significat iniquius corrumpas & more idololatrico custoditas deamatasque divitias, unde deinceps *Mammonista* & *Mammonicola* avari dicuntur. Sed nec illud sola vox *Mammonis* sine addito exigit. Quam ob rem in approbata paulo ante sententia permaneamus. Tantus circa hoc nomen fuit dissensus! eadem ratione differunt *Scriptores* in addito, quando *Mammona* iniquitatis dicitur, recte exponendo.

§. 10. Verbi gratia Costero Mamon iniquitatis propterea ita appellatur, quia (1.) frequenter & fors majori ex parte divitiæ inique acquiruntur, nempe furto, fraude, aut nimia sollicitudine, quæ divina officia ac bona opera remoretur, vel omnino excludat. (2.) Quia non conservantur legitime & modo debito per erogationem aliquam in pauperes, ad quam tamen concessæ sunt. (3.) Quia inique distributæ sunt. Multi enim pii, qui eas magis, quam impii meruerunt, & melius erogarent, in paupertate vivunt, peccatores autem abundant. (4.) Quia sunt materia iniquitatis, quæ præcipue furto committitur. (5.) Quia facile ad iniquitatem inducunt. Sunt enim occasio voluptatis, luxus, superbia, odii, invidia &c. (6.) Quia persuadent sibi homines, esse suas, cum tamen non sint hominum, sed DEI. (7.) Quia non sunt veræ divitiæ, neque à piis tales putantur; quibus nihil est divites, nisi quod caeleste est.

§. 11. Verum enim vero hæc & aliæ rationes, quas partim apud nostrates, partim vero apud diversæ religionis cultores deprehendimus, quamvis primo intuitu aliæ præ aliis legenti tales videri queant, quæ rem omnem conficiant; at tamen si eas paulo penitius collustramus, facile perspicimus, universa illa, quæ hoc pacto ita generaliter omnibus omnium divitiis tribuuntur, iisdem inesse tantum per accidens, nec propterea eas mereri, ut tam odioso vocabulo cognominentur. Possumus ea & aliis rebus tribuere, quas tamen si quis propterea iniquas velit dicere, audiendus me iudice non sit. Inducat quis e. gr. eruditionem vel scientiam, rem in se honestissimam ac preciosissimam, & videbit, omnia in eam, facta tantum iusta applicatione, congruere, quæ in divitiis præcedenti §. dicta afferuntur. At vero si quis ea de causa iniquam eruditionem, uti eruditio est, vel scientiam iniquam cognominet, aut per Hebraismum scientiam iniquitatis vocare velit, atque ad legitimum ejus usum alterum cohortaturus hæc forte utatur formula: Ego vero tibi dico, in honorem DEI & utilitatem reipublicæ literariæ injustam eruditionem, & scientiam iniquitatis conferas; ille profecto communi omnium sententia, velut is, qui non tantum non apte, sed inepte diceret, exhibendus foret.

§. 12. Viderunt hoc alii, propterea quæ aliam explicationem excogitarunt: siquidem Beza non tantum ἀδίκη Μαμωνᾶ v. 11. hæc Latina substituit: fallaci Mammonæ; sed & præeunte de Dieu Walæus Comm. in N. T. ad h. l. miratur, easdem cogitationes illum ad voces

Ma-

Μαμωνᾶ τῆς ἀδικίας v. 9. non habuisse, quippe quas optimas & divi-
 nas iudicat: atque ita existimat, ex imitatione linguarum Hebr. Syr. &
 Arab., in quibus una eademque notione iustitia & veritas, itemque alia
 communi voce falsitas & iniquitas vocentur, ut alibi, ita hic in Graecis
 τῆν ἀδικίαν non per iniquitatem, sed per fallacitatem exponendam es-
 se, ut intelligantur divitiae, quae non sunt verae, sed mendaces & fallaces.
 Verum neque haec sententia sufficit, tum quod voces diversum signi-
 ficantes primum proprie ad literam sint vertenda, & si eam versio-
 nem sensus apte non patitur, tum demum ad vicinam interpretatio-
 nem accessus sit parandus, ut ita non pro lubitu, און שקר, עולה,
 sed pro circumstantiis ita vel aliter capienda sint. Secundo divitiae in
 se neque iniquae sunt, neque mendaces, & fallaces, quippe in quibus
 homo sibi plus mentitur, ac fallax est, quam ipsi divitiae mentiantur,
 id quod Walæus ac de Dieu sine egregio tropo dicere non potest, at-
 que ita jam duplicem vocis ἀδικίας mutationem debet concedere.
 Tertio nulla in textu causa est, quare ἀδικία non sit iniquitas, cum
 propriissime ibi Mamona iniquitatis appellitur: addimusque quar-
 to, omnem hanc fluctuationem inde nobis recte videri ortam, quia
 plerique interpretes per discipulos, qui amicos parare jubentur, fir-
 matos iam Christi discipulos, quibus opum injultrarum possessio con-
 venire non videbatur, intelligere voluerunt. Atque ita & Walæo, &
 ei, unde haec sibi sumsit, Lud. de Dieu, & aliis consentientibus hacten-
 us assentiri plane nequeo, sed, quam possum proxime, verbis Chri-
 sti inhaerendum censeo.

§. 13. Itaque aliis suam relinquentes sententiarum varietatem ac
 prolixitatem, brevissimis nos expediemus, considerantes, non quas-
 cunque quorumcunque possessorum divitias aut facultates h. l. à
 Christo indigitari, sed eas tantum, quae in manibus ac potestate ini-
 quorum hactenus publicanorum & peccatorum erant, quippe qui-
 bus & ipsorum similibus hanc orationem dictam voluit Servator o-
 ptimus, non quibusvis largiorum fortunarum beatis possessoribus.
 Publicani enim & peccatores, cum ad regnum DEI penetrare discu-
 perent, & nihilominus bonam partem, perspicente id Christo, ter-
 renarum divitiarum nimium adhuc amantes, & studiosi intra pectus
 essent, monendi hic publice à JESU erant, ut, si sequi se vellent, om-
 ni repudiata injuste habendi cupiditate, cuique, quod suum esset,

retri-

retribuere, aut, si recordatione haud assequerentur, quibus per vitam universam avaritia sua nocuissent, opes suas inique partas inter-
prios, & praecipue eos, quorum labor in praedicando caelorum regno
aliorum liberalitatem efflagitaret, promte & pro necessitate distri-
buerent, atque adeo amicos sibi eos adjungerent, ne in perpetuum
aeternis habitaculis excluderentur.

§. 14. Quae cum ita sint, satis causa Christus, puto, habuit, cur hoc
publicanorum & peccatorum Mamon injustum iniquumve appella-
ret. Revera enim illud tale fuit. Sane in vulgus notum est, quam avari
aliorum deceptores, iniquique opum alienarum corrafores omni fer-
me tempore exsisterint publicani. Injustitia in exigendis vestigali-
bus, Romanorum etiam sententia, publicanis propria ac indivulsa,
fuit, ut Sabino cuidam ob bene administratum, quod pro miraculo es-
set, publicani munus pro immortalis hominis fama statua sit suscitata,
cum inscriptione: *Καλῶς τελωνήσαντι*. Unde plane inutilis aut sal-
tem non necessarius labor fuerit, rationes hic infinitas excogitare,
quam ob rem divitiarum injustitiae titulo à Christo deturperentur. Chri-
stus enim non in genere divitias omnes, sed speciatim publicanorum
& peccatorum opes, quousque tales erant, iniquitatis incusat. Id
quod recte ad h. l. observavit Foersterus, qui post generaliorem res-
pensionem, quod sic appellentur propter abulum, deinde ait spectari
divitias ut Mamonomam iniquitatis debere (1.) *in iniqua opum κτήσει*: &
(2.) *in iniqua earundem χηήσει*: Ubi, licet non speciarim dicat, in his
publicanis sic eas spectari debere, tamen res ipsa, & hic ita sumendas
esse, ut supra probavimus, evincit. Consentit & Balduinus, Flacius,
Wigandus, alique, quantum ad generaliorem Mamonomam injusti signi-
ficatum spectat: qui sane applicatione hic destitui non debet.

§. 15. Unum est, quod à dissentientibus objicitur, quod *μαμωνᾶ τῆς
αἰμίας* nequeant esse opes inique partae, vel contra conscientiam oc-
cupatae, eademque fide mala possessae: quoniam DEUS ES. LXI. 8. pro-
fiteatur, *diligere se judicium, & odio habere rapinam in holocaustum*, &
Prov. III. 27. jubeamur eleemosynas ex eo, quod nostrae manus est,
erogare: itemque C. XXI. 27. hostiae, quae ex scelere offeruntur, abo-
minabiles dicantur, ac Syr. XXXIV. 21. seqq. graviter contra tales ho-
stias dicatur. Verum objectio haec negotio impar est. Nam (1.) sermo
hic non est de hostiis ceremonialibus, in quibus utique distinguen-
dum erat propter majorem dignitatem, & sanctitatem ecclesiasticam,

D

unde

unde venirent sacra DEO ferenda. (2.) Nusquam prohibitum est eleemosynas erogare ex eo, quod vel ex inique partis iusta hereditate ad nos transit; vel etiam à nobis ipsis inique ita partum est, ut restitutionem poenitentiae studiosi facere nequeamus. (3.) Omnia dicta scripturae, quae videntur contra erogationem inique acquisiti, rapti, detentii, & alieni agere, necessario ex animo hominis offerentis vel erogantis sunt exponenda, si quis nimirum rapere velit, ut donet, & inique acquirere, ut offerat, & bene facere cum alterius detrimento, vel hypocritice donare, ut plus deinde rapiat, &c. (4.) Scriptura è Scriptura exponenda est, si quidem (ut nunc citatos textus è fonte non discutiamus) variis, quos supra Parte Priori citavi, locis e. g. Num. X, 6. 7. 8. Dan. IV, 24. Matth. XXIII, 25. 26. Luc. XI, 39. 40. 41. & sim. jubemur è male partis eleemosynas porrigere, & ad sacerdotes etiam restituenda afferre, & (5.) ipse noster locus satis clarus est, ut tam leviculae objectionis causa nihil opus sit à litera & literali sensu recedi. Et (6.) quo tandem putes injuste parta conferenda, si nec in laudem Divinam, nec in pauperum curam, nec in amicorum meliorum conciliationem sint eroganda? An tutius est, possidentibus commendare, ut soli iis hilari mente fruantur, si forte restituito fieri nequit? Id certe avaris placebit. An abjicienda in undas, aut humanda, aut igni exurenda? id profectio nimis stolidum erit, ac nimis superstitiosum. Et quo tandem male corrasa? Deponantur apud amicos, quos Filii DEI commendat, quosque litera requirit. A qua ne nunc quidem per aliena sensa dimovemur, sed Aphorismo nunc inde tanto magis suam claritatem constare judicamus, omnemque dissenfum (7.) inde ortum existimamus, quod divitias sanctorum, propter Apostolos v. l. intellectos, per Mamonomam injustitiae quoque quasi vi quaedam intelligendas obtrudere velint, quod *πεῖραν ψεύδους* est, & removeri debet. Sed de Mammona *ἀδύλας* sensu proprio, ita ut fecimus, explicando, conferri poterit Lightfootus in H. H. ad h. l. Ubi adhibitis phrasibus scripturae, Targumistis, ac Talmudistis, rationibusque probe illud roborat atque illustrat.

APHORISMUS IV.

Inopia suscipiendorum in aeterna tabernacula, & ipsa eorumdem in illa susceptio, non contingit in ipsa morte, neque post mortem, sed omnino ante mortem.

§. I. **O**ccurrunt in textu voces memorabiles: *ὅταν ἐκλήπῃς*, quae com-

communiter vertuntur: cum defeceritis, designantque hominis talem statum, in quo ipse anxius & inquietus, & extra fiduciam sui mammon positus degit, itemque extra aeterna regni caelorum tabernacula adhuc constitutus, quippe in qua etiam tum temporis susceptio sperari ab eo potest. Judaei ab antiquo crediderunt, ante initium regni Messiae gravissimas fore afflictiones, easque dolores Messiae, מַלְכוּת מֶשִׁיחַ appellare siveverunt: quibus non sine multorum grandi calamitate finitis successurum speraverunt regnum Messiae tranquillum, quo sub sicu & viti quisque sua, suisque in tabernaculis ac domibus hilarius sint victuri. Non intellexit plurima pars eorumdem sive dolores, sive regnum Messiae; ac fama tamen de utroque Judaicas aures & lingvas in sui obsequium trahebat. Potuit Filius DEI ex communi illa gentis suae hypothese formulam desumere tum τὸ ἐκλείπειν, quod non tantum est, deficere, ad defectum usque imminui, sed & animo deficere, angore consumi; tum τὸ δέχεσθαι εἰς τὰς συντάξαις αἰωνίαις, praesertim cum crederent, diuturnum fore & chiliaisticum quoad annos Messiae regnum. Verum cum ex historiola de oeconomia materia admonitionis desumpta sit, fundamentum sermonis quoque ex ista comparatione tenemus, quidque ἐκλείπειν sit, paulo propius videndum est.

§. 2. Quia vero ἐκλείπειν stat simpliciter sine subjuncto casu, dubium est subortum de Dieu, & post eum Walæo, annon potius active, vox illa foret intelligenda hoc modo, quum deserueritis, scilicet mammonam; id quod pro Syro contra Bezaem L. de Dieu affert, simulque τὸ ἐκλείπειν active sumi duplici phrasi probat, & statim subjungit: Et recte fecit, quod nihilominus ultra dubium non excessit, siquidem in N. T. activa significatio verbi hujus ab utroque non potuit inveniri, & multo durius Activum regens sine casu locatur, quam tale Neutrum, quod plane omni casu se exuere potest, & re ipsa simpliciter positum legitur Luc. XXII. 32. Ebr. 1. 12. Unde consuetam reliquorum versionem retinendam existimamus, praecipue cum vis comparationis horum hominum cum oeconomia neutram significationem requirat, quippe qui mammonam domini sui non deserebat, sed eadem carere debebat.

§. 3. Ergo ponendi hi homines in tali statu spirituali, in quali statu corporis & alimentorum causa positus fuerat degener oeconomus. Is

vero sine re, sine spe, sine fide nesciebat, unde quidquam pro corpore nancisceretur, nisi benevolentia aliorum captata ædes ipsi intrandas apertura esset. Eadem ratione hi inique divites spiritus causa ita sunt considerandi, ut homines è mamona sua nihil spei, nihil fiducia, nihil solatii habentes, judicia regnum Messiaë gloriosius patefaciendum antegredientia nunc prævidentes, metuentes, sentientes, & in antiqua Judaica synagoga hæctenus ipsis occlusa, nunc ne desideranda, quidem plane desperantes, prætereaque nondum in æterna regni Messiaë tabernacula adsciti. Hoc in misero statu quid supererit, nisi opranda per conciliatos in talem casum amicos susceptio in tabernacula æterna? Quæ an in morte, an post mortem, an ante mortem contingat, nunc dispiciendum est.

§. 4. Quando dico: in morte: per mortem intelligo partim ipsum moriendi actum, cum duratione illa, quando cum morte quis ita conflictatur, ut ei statim succumbat: partim illud temporis momentum includere possum, quod ipsam animæ & corporis separationem immediate & quasi cohærenter ita præcedit, ut plane sui intellectus ad mutationem animi cõmpos in eo moribundus non sit. Post mortem vero omne illud durationis spatium dico, quod dissolutionem animæ à corpore consequitur, animæque locum mansionis suæ ad extremum usque iudicium assignat. Ante mortem autem intelligo tempus vitæ, illud videlicet, quod mortem antecedit, mortaliqve talem permittit conditionem, in qua conversioni locus superfit.

§. 5. Post mortem certe defectus hic cum subsequente in æterna tabernacula susceptione plane non consistit: qui enim mortuus, gratia divina destituitur, & solatii eget, ne guttulam quidem divini solaminis, nisi frustra, expectare potest, tantum abest, ut intercedenti tanto *χρόνω* evadat, atque in æterna coelorum tabernacula suscipiatur. Pontificiis quidem adstruentibus talis susceptio cum defectu post mortem durante probabilis videri queat; rectiora edoctis per S. Scripturam talia displicere debent.

§. 6. Multi quidem voces, *ὅταν ἐκλήπῃς*, de ipsa morte exponunt, nec opus est hanc in rem, cum notissimum illud sit, varios autores allegare. Certe Walæus id testatur his verbis: *Qui vertunt, cum defeceritis, subaudiunt, ex hac vita, id est, cum moriemini.* Sed ipse id frigidum esse iudicat. Nos quidem neque in illud frigus consentiemus, nec tamen Walæi etiam Activo assentiri possumus. Id sufficit, hunc defectum

etum

Etum non commode accipi de pecuniis, hoc sensu, ut, cum pecunia carueritis, vos in æterna tabernacula suscipiant, siquidem id se ipsum vanitatis arguit. Sed spiritualis significatur defectus, cui susceptio in æterna tabernacula opponitur: qui si in ipsa morte adhuc durat, nec conversioni ante mortem locus fuit factus, iterum in tabernacula æterna aditus non patebit.

§. 7. Ergo nihil superest, nisi tempus vitæ ante mortem pœnitentiæ & conversioni sufficiens: siquidem qui vivus à defectu gratiæ & consolationis divini non erit liberatus, sive pecunia gaudeat, sive eadem careat, imo si & possibile foret, immensos thesauros divitiarum ad judicis thronum afferri, mortuus susceptionem sperare nullo modo poterit. Unde id consequitur, defectu hoc cessante aditum non nisi vivo fieri in æterna tabernacula, de quo nunc ulterius erit agendum.

APHORISMUS V.

*Æterna tabernacula, in qua hæc sit susceptio, immediate h. l. non denotant vitam in cælis triumphantium beatam & æternam, sed san-
ctum regni atque ecclesia Christi in his terris statum.*

§. 1. **Q**uemadmodum autores plerique tam inopiam seu deficientiam suscipiendorum in æterna tabernacula, quam ipsam eorumdem in illa susceptionem, vel ad mortem, vel post mortem hominis rejiciunt, ita etiam per æterna habitacula illud ipsum intelligunt, quod hominem beata morte functum manere potest, quod nihil aliud est, quam ipsum cælum seu vita æterna. Id quod alii aliter expressere, dum Erasmus æterna caducis, & Balth. Müllerus nostris hic tabernaculis mobilibus æternas illic mansiones opponit, & Botfacus sedes beatæ vitæ, Flacius alteram vitam, Friedliebicus communionem sanctorum cœlestium, Pasor cœlos, Beustius æternum collegium vitæ cœlestis intelligendâ esse volunt, ut viris pluribus illustri- que nomine radiantibus haud allegatis lubens fatear, plurimam- commentatorum atque interpretum partem per æterna tabernacula immediate concipiendum censuisse æternæ vitæ, æterna cum gloria post hanc vitam fruendæ, πᾶ beatissimum, vivis nobis hætenus incognitum. Quo in negotio (ut Chiliaisticam interpretationem prætermittamus) ipsis favere videtur Apoc. XXI. 3. 42, ubi alterius vitæ ecclesia dicitur ἡ σκηνὴ τῆς θεῆς μετὰ τῶν ἀνθρώπων &c. col. c. XXII. 5, ubi dicitur, quod in ea βασιλεύσουσιν εἰς τὰς αἰῶνας τῶν αἰώνων.

§. 2. Verum, ut prompto animo fateamur, beatas æternitatis sedes

σκηνάς αἰώνιας, æterna tabernacula, posse vocari: ita tamen, cum nihil in textu habeatur, quod hanc expositionem, ut necessariam, efflagitet, copioso aliorum in hoc negotio consensui celerius nos astringi haud passi fuimus. Vocabulum certe αἰώνια nullam hujus rei necessitatem nobis imponit, quippe de quo, licet frequenter durationem finis plane nesciam significet, tamen novimus, plane non ab eo respici explicationem, quæ sit per tempus diuturnum, maxime si diuturnitas vel vim suam in æternum exserat, sicut λυτήριος Christi αἰώνια dicitur Hebr. IX. 12., vel rerum ac personarum translationem in alteram vitam simul involvat, quo Paulus contendit Philem. v. 15. Τάχα γὰρ διὰ τῆτο ἐχαρίσθη πρὸς ἄραν, ἵνα αἰώνιον αὐτὸν ἀπ' ἐχθρῶν, aut si duratio, durationem mundi adæquet vel ex initio, uti idem Paulus χρόνος αἰώνιος vocat II. Tim. I. v. 9. vel ratione finis, unde idem DEUM ait dedisse παράκλησιν αἰώνιαν ἢ ἑλπίδα ἀγαθήν, i. e. consolationem cum ecclesia & mundo duraturam semper, & spem bonam; aut si tandem duratio sit temporis longi, mundi tamen durationem non exæqvantis, ut Rom. XVI. 25.

§. 3. Sed neque in altero vocabulo, σκηνή, quidquam invenio, quod illi de vita æterna magis, quam alii cuidam saveat sententiæ. Ex fide Grammaticorum quorundam illud derivatur ab Hebræo שָׂכַן, habitavit, & si ex eadem lingua originem eruere velimus, commode ex antiquo Σχέω, quod capio, habeo, significat, mutato χ in κ deduci σκηνή potest. Utroque modo generatim quodvis habitaculum, tentorium, vel domicilium hominum tegendorum capax; speciatim vero illud quoque tecti genus denotat, quod ex arborum ramis frondibusque strui solet. Hinc Judæorum illud festum tabernaculorum, longe juveniissimum σκηνοπηγίας nomine venit Joh. VII. 2. Conf. Levit. XXIII. 40. Nehem. VIII. 5. Et Scenitæ, populi Arabiæ felicis inde dicti sunt, quod in scænis vel tabernaculis habitarent. Nihil igitur in voce σκηνά est, quod necessario cœlestia requirat vi vocis, quin potius, cum metaphorice ad cœlestia transferatur, proprie ad habitacula destituta & mutabilia pertinet. Neque etiam voces σκηνά αἰώνιοι junctim sumptæ exigunt interpretationem per æternas ac beatas defunctorum ac resuscitatorum sedes; sed uti per se aliud non flagitant, ita nostro hoc loco designant proxime aliquem vitæ statum, qui felix, optabilis, beatusque & perdurans sit, sive is tandem aliquando destitutus, & cum altero, eoque feliciori commutandus, sive perpetuus, & mutationis expertus futurus sit.

§. 4. Nihilominus videndum est, quomodo suam mentem exponant, qui putant, tabernacula aeterna esse futuram beata aternitatis sedem. Profecto non poterunt ferme ii, nisi moleste conciliationem quarere, quomodo ab hominibus fieri debeat illa in vitam aeternam suscepcio. Illi quidem, qui DEO & Christo immediate nomen conciliandorum amicorum adscribunt, facilius se hic expedient, sed, DEUM & Christum exaltatum hoc loco non recte intelligi, *Aphorismo huius Partis II. de Amicis ex Mammona comparandis* jam ostendimus. Reliqui omnes in varias trahuntur explicationes, & plerique suscepcionem activam sanctis jam mortuis, pauci eandem viventibus quibusdam adscribere sunt conati. Cuncti vero agnoscere debent, non posse hanc suscepcionem, nisi post suscipiendi mortem, fieri, quacumque tandem ratione fiat: in quo tamen à literalì & immediato sensu verborum Christi recedunt. Sed videamus varietatem.

§. 5. Primo loco ponamus Pontificios, ex communi suo errore plerumque hinc meritum bonorum operum, & invocationem mortuorum stabilientes: quibus tamen refutandis erroribus nunc styli tempusque non damus, Exegeticae, quam Polemicae, curiosiores. Illi hanc suscepcionem ita magnam partem intelligunt, ut per concessam aliis priorum meritorum & operum supererogationis attributionem, perque meritoriam multarum precationum vim carentes suis meritis homines in caelum suscipi credant. Suscipiunt igitur beati ex hac sententia alios meritis male instructos per meritum operum atque precum suarum superfluarum. Hinc Friedlieb. Theol. Execg. in H. E. l. 5. classe 4. ad h. l. *Hoc sic interpretantur Pontificii: Juvare eleemosynis pauperes & sanctos, ut post mortem suam in aeternam vitam vos promoveant sive intercessione, sive merito: Citatque Bellarminum l. 1. de Purg. c. 4. Lyram, Maldonatum, Salmeronem Comment. ad h. l. Gradicum, Rudolphum Ardentem, Costerum, Homil. ad Domin. 9. Trin. sive 8., ut scribunt, post Pentec. Horum ultimus d. l. expresse tales cum aliis exigit amicos, homines pios, sancta vita, quorum alii pro te orent, at salutem impetrent; alii pro te meritorum suorum participem faciant, &c. Alii suscepcionem metaphoricam fingunt talem, qua pauperes sublevati suos benefactores per meritum acceptae ab illis eleemosynae in caelos suscipiant. Sic Barradius Tom. 3. Comm. in Conc. Evang. l. 4. c. 1. de Villio, existimat, pauperes recipere eos, qui eleemosynam tribuunt; in aeterna tabernacula metaphorice: quia eleemosyna sive misericor-*

dia

dia in pauperes ecclesiam meretur gloriam, dummodo cum charitate & gratia copulata sit. Utiur autem Dominus hoc dicendi modo, ut parabolam accommodet nobis. Dixerunt, villicum ex divitiis Domini fecisse sibi amicos, qui eum reciperent in suas domos, sive tabernacula: ideo nunc ait: Facite vos similiter vobis amicos ex divitiis, ut vos recipiant hi amici in tabernacula aeterna eo modo, quo possunt, scilicet per merita eleemosynarum. Sed missa sint hæc Papistica.

§.6. Commodius aliquanto sentire videntur, qui dicunt, per preces sanctorum tum viventium, tum mortuorum vitam aeternam aliis conciliari posse. Sed habet tamen ea quoque sententia, quod eam valde premit. Aut enim suscipiendus ipse credit, & ex fide DEUM pro salute sua precatur, aut non credit, Si non credit, nulla aliena precatio ipsi conciliabit aeternam salutem, illudque dictum: *Filium mulierum lacrymarum perire non posse*; cum grano, quod dicunt, salis accipiendum est. Sin autem credit, & precatur, non ille quidem, per alienas preces suscipitur, sed per fidem propriam in aeterna tabernacula vitæ futuræ transit. Hanc tamen in sententiam scripserunt viri omnino orthodoxi, qui tales loquendi formas non fugerunt, id nobis negotii relinquentes, ut ad orthodoxæ regulas ipsorum sermones interpretemur, vel, si opus sit, molliamus. Exemplum addemus: Ad vivos precantes suscipiendi facultatem transfert Frid. Bald. Hypomn. Harm. ad h. E. *Hoc pacto*, inquit, *efficimus, ut recipiant nos in aeterna tabernacula, quod fit (1.) quando precibus suis in hac vita coram DEO hujus & futurae vite felicitatem nobis impetrant*, &c. Atque huc etiam, contendit consiveta pauperibus nostris formula: *Ich will ihn dasür in den Himmel bitten / quod ipsi nobis beneficientibus cælum sua prece impetrare velint: qui sermo mente non mala dictus tolerari potest ob pietatem benevolentis, de cætero omni duritie non caret. Ad preces fortassis etiam beate mortuorum, certe indubie ad viventium piorum preces attendere videtur Balth. Müller. Disp. Conc. ad h. l. in his verbis: *Nostri territoria sunt mobilia & caduca; illic sunt aeterna mansiones, in quas solus Christus recipit & provehit. Est enim solus via Joh. XI. 14. Act. IV. Job. X. Act. X;* tamen pauperes testabuntur, quod ex fide ipsis benefecerimus, & orabunt pro nobis, ut ecclesia (pro) *Tabæa apud Petrum Apost. Act. IX. Addit Sirac. XXIX. Conclude in sinu pauperis eleemosynam, & ipse orabit pro te. De precibus mortuorum, piorum non est quidem, quod ii desperent, quorum notitiam illi habent:**

benit: cæterum nec Abrahamum, nec Israëlẽm posteros suos in hac vita degentes nosse, per Esaiam DELUS nos docuit. Id ergo firmum remanet, posse pios in hac & altera vita pro nostra salute precari; aut, nisi ipsi credamus, salutem nobis nostram illos sua prece impetrare non posse.

§. 7. Alii ergo susceptionem hanc interpretantur per nudum amplexari, in fide mortuos amice excipere, bene venire jubere, de adventu in cœlos gratulari. Ita Friedl. Theol. Ex. in H. E. l. 5. Cl. 4. ad h. l. *Sensum esse dicit: Si des benignus pauperi, & sic fidem in Christum demonstras externis factis, per Christum in communionem sanctorum cœlestium recipieris, & omnes sancti, Christi amici, leti illuc ingredientem te recipient. Videre jubet Mehlisibr. in Vind. Evang. Dom. IX. Trin. & Bakium ibid. pag. 371.* Jesuita Costerus est, sed inter alia humanum hoc officii cœlestis genus agnoscit. Sic enim ille: *Omnes hi, quibus aliqua virtutis occasio fuisti, occurrent tibi, & in cœlum recipient, si ante te ex mundo hoc exceßerint, ac in extremi judicii die & ipsi & alii omnes cum triumpho te in gloriam invehent, inchoantes & deinde perennans commemorationem virtutum tuarum, quas eis prestitisti.* Et paulo post, cum sanctiores liberalitati Suorum commendavisset, addit: *Tanto erit numerus te recipientium major & honestior, nempe constans personis dignioribus &c.* Joachimus à Beust. Nob. & JCrus in Orth. Enarr. Evang. ab his non dissentit, sic enim scribit: *Certum est, quod sancti suo testimonio nullum recipere possint in æterna tabernacula, qui prius à Christo non sit acceptus gratis. Illi vero, quibus benefecimus, hunc honorem nobis gratulabuntur, quod cooptati sumus à DEO in æternum collegium vitæ cœlestis, & beneficia, quæ in ipsos contulimus, predicabunt tanquam testes, Matth. XXV.* Verum, ut quæ sentio, fatear, non possum mihi persuadere, Filium DEI in admonitione tam gravi, & propositione finis adeo præclari, nihil aliud, quam mutua cœlestis civilitatis signa describere voluisse: unde & ipsi hi, quos citavi, laudem benefactorum & fidei testimonium adjungere voluerunt.

§. 8. Facilius ergo testimonium fidei cum beneficentiæ laudibus conjunctum maxime urgent alii, idque ita, ut hoc testimonium vel à Christo ipso, vel coram Christo à sublevatis piis recitari, atque ita cum tali testimonio in cœlos recipi piorum benefactores affirmant. Sic Joh. Wigandus ait, Christum his verbis docere, quod in novissimo die talia beneficia celebrabuntur: *Hic me fovit, hic me aluit, benefecit mihi,*

Matth. XXV. Non addit, quis hæc dicturus sit, Christusne an Electi? quamvis ipsum Christum credam ab eo significari, quoniam, locum Matth. XXV. citat, Atque hoc etiam urget Stella Enarr. in Luc. Capa XVI. pag. 163. a. sed nescio, quam superbos faciat electos, quos tamen humiles Christus I. c. sistit. Namque hæc ille refert: Omnibus gentibus, universisque orbis terrarum populis ordine dispositis, rogabit Dominus misericordes, dicens: Esurivi, dedistis mihi manducare? Illi respondebunt: Etiam Domine! Sitivi, dedistis mihi bibere? Respondebunt liberales: Etiam Domine! Rogabit item: Fui hospes & peregrinus, & recepistis me? Respondebunt: Etiam Domine! Et sic de aliis operibus misericordiae. Credes, Minoritam falli, si Christum audies. Sed ad propositum. Vidimus de testimonio, quod Christus piis ferret; & de testimonio, quod piis pii ferre existimantur, hujus susceptionis gratia. Ergo Balduini loc. cit. sic scribit, quod recipiant nos in aeterna tabernacula, id fieri (2.) quando in extremo iudicio testimonium perhibebunt fidei nostrae, quae per opem caritatis fuit efficiax. Gal. V. 6. Sed cum in extremo iudicio susceptionis causa, nulla nova piorum testimonia requirantur, & Christum testimonium ferens ipse susceptor solus sit, ne hæc quidem sententiae sollicito iudicantibus plane satisfacere poterunt.

§. 9. Intelligunt alii absolutoria Christi, pios suscepturi, sententiae comprobationem à beatis factam, per quam pios suscipere possint dici. Huc quodammodo etiam B. Melanchth. Annot. in hoc Evangelio, adspirare videtur, ubi hæc nobis scripta reliquit: Sancti recipiunt, id est, Christus & Ecclesia: Christus tamquam Redemptor, & donator salutis; ecclesia tamquam testis celebrans datum beneficium per hunc liberatorem, & agens gratias DEO remuneranti. Ut Christus recipit Constantinum, qui defendit Ecclesiam, recipiunt & sancti, videlicet testificantes de hac defensione, agentes DEO gratias, & quod defendit Ecclesiam per istum, & quod vicissim hunc aeterna gloria ornet. E contra Christus damnat Dicoletianum savientem: Damnatur eum & Ecclesia suo testimonio predicans justum iudicium Christi. Ita coniungitur vox Christi & ecclesiae, quia gloria sanctorum conspicietur ab universa ecclesia. Et cum facta sanctorum in hac vita sunt spreta aut damnata, intueamur justum illud iudicium Christi, Angelorum & Ecclesiae, & sciamus, in illo iudicio revelandas esse nostras voluntates, & futurum, ut recte facta aeterna voce DEI, Christi, Angelorum & Ecclesiae probentur & celebrentur.

Fa-

Fateor hæc non inconcinne, nec veritati incongrue: quæ à sententia non alienus forem, nisi voces, *ὄταν ἐκλήψη*, alio me traherent.

§. 10. Alii phrasin hanc ita exponunt, ut Christum dicant in præmium beneficentiæ munificos suscepturum esse, ut ita sublevati illos per Christum suscipiant. Sic inter veteres *Haymo* (alleg. ap. Barr. l. c.) ait *recipere pauperes non per se, sed per Christum. Rogat: quomodo recipient pauperes benefactores suos in æternam gloriam? Responder: Christus recipit vice illorum, quia, quod pauperibus datur in terra, à Christo recipitur in celo. Ipse enim dicit: Quod uni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Et Gaudent. Episc. Brix. in Exposit. hujus parabolæ ad Geremiam: Recipient, inquit, vos non ipsi pauperes per semet ipsos, sed per eum, qui in illis obedientia ac fidei nostri fructu rescitur, suscepturus ministros pietatis hujus in æterna tabernacula regni celestis &c.* Verum quamquam res non displicet, verba tamen ipsa, quod homines per Christum alios in celum suscipiant, iusto sunt duriora.

§. 11. Nec procul ab ea expositione abest alia aliorum, quibus hæc phrasin, quod ad iuti ad iutores suos suscipiant, idem est, quod illa, quando DEUS hos propter illos suscipere dicitur. Flac. Cl. Scr. ad voc. *Tabernaculum* eo inclinatur ita scribens: *Pauperes à nobis sublevati dicuntur nos acceptare in æterna tabernacula Luc. XVI. 9. i. e. DEUS propter eos, qui nobis in vitam propter sublevatos pauperes benefaciet.* Idem urget *B. Lutherus* in his: *Solches Aufnehmen in die ewige Hütten ist nicht zu verstehen/das es die Menschen thun werden/sondern sie werden Ursache und Zeuge seyn unsers Glaubens an ihnen geübet und beweiset/um welches willen Gott uns in die ewige Hütten nimmt: & post exempla idiomati vernaculo congrua pergit: Also nehmen uns die Freunde gen Himmel/wenn sie Ursache sind durch unsern Glauben an ihnen erzeiget des Himmelreichs. In quibus verbis omnino puritatem doctrinæ suspicimus atque amamus: quo tamen lubentius exegeseos causa duci nos patiamur, infra dicemus.*

§. 12. Tanta sententiarum varietate divelluntur, qui dicunt, tabernacula æterna, in quæ ab hominibus homines, & quidem deficientes, suscipi debeant, celos esse, quia alius in alio duritiam molliendam observavit, suamque sibi placere iussit interpretationem. Omnium sane durissima expositio est, quam, nescio ex quoniam sententias fingendi pruritu, commentus est *Barradius* l. c. in fine cap. I. ubi eam ipse statim condemnavit. Exhibebo ejus verba. *Præterea ironice ex-*

plicari possunt verba illa ultima: *Facite ergo vobis amicos de mamona*
Et c. dictaque erit parabola discipulis, ut Lucas ait, sed adversus Phari-
 saeos. Rapiebant aliena bona Pharisei, ut constat ex illis verbis Christi
 Luc. XI. *Quod intus est vestrum, plenum est rapina & iniquitate Et c.* Pau-
 peribus eleemosynas ex rupto donabant, satisque id esse arbitrabantur, ut
 à peccato liberi evaderent. Similes ergo erant Villico, qui ex rupto veluti
 eleemosynam debitoribus domini largitus est. Proponit igitur Phariseis
 parabolam Dominus, intelligi volens, similes esse villico, ex rupto donanti
 eleemosynam, & per ironiam concludit: *Facite ergo amicos de mammo-
 na iniquitatis, ut, cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula:*
*h. e. Abite ergo, & ex iniquo mammona, hoc est, ex rebus, quas fraude rap-
 itis, instar hujus villici facite vobis amicos pauperes, ut, cum defeceri-
 tis è vita, recipiant vos IN ÆTERNA TABERNACULA TARTARI.*
*Eleemosyna enim ex rupto data à Tartaro raptorem non liberat, quia bon-
 na rupta dominis debet restituere. Sed verius multo est, nullam hic inesse*
ironiam. Recte judicat, proptereaque hac opera ironice Tartara cum
aeternis tabernaculis conferendi abstinere potuisset.

§. 13. Super est, ut exponamus, quid de aeternis tabernaculis tutius
 sentiri existimemus, quamquam id ex ipso Aphorismo jam patuerit.
 Militantem igitur in terris ecclesiam innui arbitror. Hanc taberna-
 cula esse DEI, hanc aeternitatem attingere & ingredi, hanc anxiiis &
 deficientibus optabilem esse, & in hanc ipsam ab hominibus susce-
 ptionem fieri posse quis dubitabit recte defendi, cum omnia sacris
 literis probari queant?

§. 14. Non potest esse, qui nesciat, ecclesiam DEI in his terris recte
 vocari *ἐκκλησία*, nisi forte in divino codice sit hospes. Ipsum nomen
 omnino ecclesiae convenit, siquidem illa homines credentes & capit,
 & tegit, & contra injurias tempestatum ex peccatorum copia orta-
 rum continet, & sub Christo, tabernaculi hujus defensore, quiete,
 amice & late convivere permittit. Quæso te, quoties hoc nomen in-
 utraque lingua sacra ecclesiae DEI tribuitur! Botfaccum dum evol-
 vo, video eum citare Esa. XXXIII. 20. c. LIV. 2. Zach. XII. 7. Pf.
 LXXXIV. 1. Hebr. IX. 11., ubi tamen pendet. De tabernaculis David
 quæ habet ex Amos. IX. 11. coll. cum Act. XV. 16. huc pertinent:
 quemque locum Pf. XV. 1. ad cœlos transfudit, rectissime ad ecclesiam
 refertur. Additur merito, quod Noachus dicit de tabernaculis Semi
 Gen. IX. 27., in quibus Japhetho sit cohabitandum: ne quid dicam de
 taber-

tabernaculis Moſaicis eccleſiam repræſentantibus. Cœterum David etiam Pf. XXVII. ſ. 6. LII. 7. atqve alibi tabernacula pro eccleſia ponit, eſtqve hæc dictio per Scripturam ita nota, ut nihil ſupra. Atqve hinc deinde id conſicitur, qvòd & eccleſia triumphans nomen hoc in cœlis Apoc. XXI. 3. retinet. Dicerem, qvare eccleſia, & qvomodo *diſ-*
10 dicatur, niſi id jam hoc ipſo Aphoriſmo V. ſ. 2. innuiſſem, unde declarationem brevitatſ cauſa deſumendam trado.

ſ. 15. Hujus ingrediendæ eccleſiæ, extra qvam nulla ſalus datur, deſiderium dubio procul omnes eos afficere debet, qvi Chriſtum agnoſcere incipiunt, ut mirum non ſit, ſi ejus cauſa opes meliori uſui & parandis Chriſti amicis deſtinentur, ut miſeri peccatores, qvando nunc ſentiunt, ſuas ſibi opes nihil prodeſſe, & ſe ſub peccatorum mole ſine Chriſto deficere, conciliatorum amicorum prece, informatione, & conſolatione, abſolutione, baptiſmo propius ad æternæ eccleſiæ tabernacula adducantur, introducantur, ſuſcipiantur. Ubi deinde æterna Chriſti redemptio eos reficit, æterna DEI gratia eos comitatur, æterna Spiritus conſolatio eos conſervat, æterna vita ipſis promiſſa manet, atqve omnes æternæ deliciæ præſentiuntur. Hæc vere ſancta tabernacula, & æterna tabernacula, qvippe qvorum non eſt finiſ, cum mundi durationem adæqvæt non tantum, ſed & ſuperet, cum contra ea portæ inferorum non prævaleant, cum ejus membra vivida in æternitatem tranſeant, atqve ita æternam DEI eccleſiam vere repræſentent.

ſ. 16. In hiſ igitur tabernaculis habent homines, qvòd valeant, crédentes, maxime miniſtri eccleſiæ ſuſceptionis cauſa, qvonia & clavem agnitionis verbi divini, & claves regni cœlorum à DEO & Chriſto acceperunt ſancti DEI homines, eaſdemqve ad ſuos poſteros transferendas in terris reliquerunt. Conf. Matth. XVI. 19. II. Cor. XVI. 9. Apoc. III. 7. 8. 9. &c. Ut nihil hic ſupérſit difficultatis, præcipue cum fieri non poſſit, ut aliquis à DEO in cœlos recipiatur, qvi non antea per Miniſterium verbi Evangelicum in eccleſiam militantem fuerit receptus. Conſideretur hic etiam, qvoties regnum cœlorum eccleſia appelleretur, ac tandem hæc cum dicto noſtro conferantur: ſic clara erunt omnia. Facite vobis ex mamona inique tum antea parto, tum hæctenus detento amicos, meos diſcipulos, Evangelii Miniſtros, ut cum olim animo & ſpiritu agnitis veſtris peccatis, & debilitate cere-

monia-

moniarum nunc abolendarum spectata anxii defeceritis, illi vos recipiant in aeterna meae ecclesiae tabernacula.

§. 17. Poteram, ut videtur, ulteriore labore superfedere, nisi meruerem novitatis suspensionem, quam avertere tamen possum. Quamquam enim nova vitii non aequo facile convincuntur, quam acculantur, aut suspecta fiunt: tamen fieri ubi potest, omnino recte agimus, si cogitatis nostris cum S. Scriptura convenientibus habitum etiam Theologorum veterum circumponamus. Cum igitur tantus consensus multorum & magnorum virorum pro aeternis aeternae vitae tabernaculis quasi depugnet, non incongruum erit unum atque alterum auctoritate armatum Theologum, qui mihi in ipsa Dissertationis conscriptione occurrat, ut nunc verba pro meis meditatibus faciat, introduci.

§. 18. Et hic quidem in subsidium nobis arcessetur communis Germania Magister Phil. Melanchthon, qui nostram sententiam adeo non improbat, ut potius, postquam praeteritio caeli non placuit, ecclesiam hanc in terris egregie h. l. commendatam voluerit. *Aeterna tabernacula*, ait, intelligantur tabernacula ecclesiae in hac vita & post hanc vitam: & fatendum est, haec officia sanctorum mereri ingentia praemia in hac vita & post hanc vitam. Sareptana mulier excipitur Eliam, recipiebatur ab eo in aeterna tabernacula, i. e. primum in ecclesiam adducta est voce & ministerio prophetae, à quo didicit doctrinam de vero cultu DEI. Deinde mulieri credenti & pascenti prophetam DEUS propter hanc pietatem & propter prophetam multipliciter benedicti, dat incrementum fidei, victum in tanta difficultate antonae, filii mortui resurrectionem. Denique mulier socia est honorum, quae DEUS passim ecclesiae imperiit. Sic Onisiphorus recipiens Paulum recipitur in aeterna tabernacula, i. e. consequitur agnitionem Evangelii, & quia juvat Paulum & alios pios, vicissim à DEO defenditur. Ita semper, qui sincero affectu juvant ecclesias, recipiuntur in aeterna tabernacula, i. e. consequuntur agnitionem Evangelii & vicissim juvantur, reguntur & defenduntur à DEO. &c. Annot. in Evāg. ad h. l.

§. 19. Jungatur ei Hier. Wellerus Part. II. Annot. in Ep. & Ev. hoc loco. *Emphasis est igitur, scribit ille, in vocabulo aeterna tabernacula, quae proprie hic significat Ecclesiam. Est igitur sententia Christi: Vos debetis vestra beneficentia pios vobis pariter amicos, ut ipsi sua doctrina ac precibus vos reddant vestra membra ecclesiae. Quomodo mulier Sareptana liberalitate sua Prophetam Eliam sibi amicum paravit, à quo*
veniam

veram doctrinam de DEO accepit. Item Sunamitis suo beneficio sibi devinxit Eliseum, cujus beneficio in aeterna tabernacula pervenit, &c. Hæc ille egregie, & plura ad rem accommodate. Non opus est, alia in negotium sole ipso clarius conquirere testimonia: postquam enim regum & sacrarum literarum testimonia adsunt, verbis opus esse non judicamus. Quam ob rem hanc causam curato doctorum judicio nunc permittemus.

§. 20. Atque ita denique probavisse me credo, quod probandum suscepi. Scilicet quod discipuli Christi ex mamona iniquitatis sibi egentibus & deficientibus susceptores in aeterna tabernacula conciliare jussi, fuerint novelli, & ex mista turba ad Christum appropinquantes auditores, opibus terram spectantibus inique vel corrasis, vel saltem detentis pro status ratione instructi, quales tunc publicani aliique peccatores erant, nec dum in ecclesiam plene recepti, sed tales, qui Christianorum perfectiorum prece, auxilio & doctrina indiguerint, eosdemque omnibus beneficiis & precibus tenere debuerint, ut sibi gratia divina per se destitutis Evangelium prædicarent, viam ad veram DEI ecclesiam aperirent, tandemque ingressum in eandem per baptismum & absolutionem concederent.

§. 21. Nihil restat, nisi ut finem Dissertationi imponam, quod fiet, ubi per *ἀνακτὸς Παλαίστιν*, at verbis brevissimis, Dicitur Luc. XVI. 9. pertractati mentem repetiero, quæ pro justa sua explicatione hæc est: Audivistis eventum, & quomodo œconomi providentiam herus laudaverit; nunc ego quoque Christus vobis omnibus, qui mihi vos ex reliqua sequentium turba (Luc. XIV. 25.) propiores audiendi & discendi gratia adjunxistis (Luc. XV. 14.) vobis etiam, qui estis publicani & peccatores, dico, nec svideo tantum, sed & sanctioris providentiæ causa præcipio: Facite vobis, quemadmodum injustus ille œconomus sibi fecit, amicos meliores, ministros scilicet Evangelii & reliquos opis indigentes regni mei cives ex injusto vestro mammon, quod per injustitiam vel corrasistis, vel simili injustitia huc usque tenuistis, cum illud partim non recte dispensaveritis, partim veris dominis restituere ob eorum multitudinem & notitiæ defectum non possitis. facite eos amicos quibusvis liberalitatis indicis, benigne excipiendo, pedes lavando, cibando, potando, & simili, qua opus fuerit, recreatione: ut, ubi vos gratia divina & fiducia lapsuræ nunc veteris synagogæ carueritis, omnique mentis solatio fue-

fueritis destituti, & , ut communi vobis loquendi utar formula, in-
 fata tristissima, regnum Messiae per orbem occupandum antegressu-
 ra, incideritis, unde vos vestri Mammonis abundantia ac praesentia li-
 berare non poterit, illi, mei Apostoli & Evangelistae, regni mei
 praedones, potestate sufficientissima gratiam miseris peccatoribus
 annunciandi, conferendique *πολιτεύματα* & jure instructi, vos re-
 cipiant per informationem, preces, baptismum, absolutionem, in-
 aeterna ecclesiae tabernacula, meumque caelorum in regnum, quod
 hic inter pericula persistit in terris, & transferendum cum gloria in
 caelos est.

§. 22. Non est necessum, ut multis, quanam doctrina & morales
 usus hinc fluant, exponamus, cum illi sint obvii, e. gr. Verba Chri-
 sti non inutile esse exponenda: amicos animae omnibus aliis amicis
 praefrendos esse: mammonem, licet ad justificationem nihil confe-
 rat, posse tamen ex accidente ad comparandos amicos justificatio-
 nem ostensuros aliquid conferre: inopiam animae magis vitandam,
 quam aliam extremam paupertatem: regni caelorum causa omnes
 opes contemnendas esse: Ministrorum DEI esse susceptionem in-
 aeterna ecclesiae tabernacula: &c. Ergo nunc, cum Aeternum DEI
 Numen pro infinita bonitate ac misericordia sua mentem calumum-
 que meditantis ac scribentis clementer dirigere non destiterit, sed
 feliciter coepa perfici jussit, immortales ei devotasque pectore de-
 voto gratias & nunc persolvo, & amplius persolvere ipse quoque
 non desisto, sed hujus beneficii inter infinita alia memor ero, dum
 memor ipsemei fuerō, eademque ex his Ecclesiae tabernaculis
 in aeternas translatus mansiones aeternum predicabo.

F I N I S.



94 A 7346

ULB Halle

3


000 544 418



Von

Mi. 86.







DISSERTATIONIS EXEGETICO - THEOLOGICÆ
DE
DISCIPULIS CHRISTI
EX
MAMMONA INIQUITATIS
Sibi

SUSCEPTORES IN ÆTERNA TABERNA-
CULA CONCILIARE JUSSIS,

Occasione dicti Luc. XVI, 9. enata
PARS POSTERIOR,

Quam
Favente DEO, & Venerando Theologorum Ordine,
PRÆSIDE
UNIVERSITATIS RECTORE MAGNIFICO,
VIRO

Summe - Reverendo, atque Excellentissimo,

DN. JOHANNES PETRO
BRUNENBORG

Ph. & S. Theologiæ Doctore, hujusque in Illustri ad Varnum
Academia Prof. Publ. Ordin. Celeberrimo, Consist. Ducalis, quod Rostochii
est, Assessore, nec non Districtus Mekelnburgensis Præsule Vigilantissimo,
suæque FCtatis Decano Spectatissimo,
Domino, Patrono, Præceptore ac Hospite suo
submitte venerando,

ad d. 20. Octobr. 1710. horis antemeridianis
in Auditorio Majori,

benevole examinandam Eruditus subjicit

M. JOH. PHIL. STAHLIUS, Hildesf.
S. Theol. Cultor.

ROSTOCHI, Typis B. JACOBI RICHELII, Ampliff. Senat. hæc. Typogr. hered. 1711.